




# De Deo, contra Arianos novos, nuper in Polonia exortos

<https://hdl.handle.net/1874/406590>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell**  
**Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**  
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnde
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection**  
**Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:**  
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

115




21  
CC





E. oct.

115



sec  
m

*Codex Beatus* 1  
DE DEO,  
**CONTRA**  
ARIANOS NOVOS,  
UPER IN POLONIA  
EXORTOS.


IOHANNES VVIGAN-  
DVS D.

i. Iohann. 4.

Charissimi, nolite omni spiritui credere,  
sed probate spiritus, an ex Deo sint, quoniam  
multi Pseudoprophetæ exierūt in mundum.

EXCVDEBAT PETRVS BRV  
bachius, Anno M. D. LXVI.





ILLVSTRISSIMIS PRIN-  
CIPIBVS AC DOMINIS,  
DOMINO IOHANNI VVILHELMO, ET  
D. Iohanni Friderico tertio, fratribus germa-  
nis, Ducibus Saxoniae, Landtgrauis Thuringia-  
giz, & Marchionibus Misniæ, Do-  
minis suis clemen-  
tissimis.

G. & P. per CHRISTVM.



ON dubium est, Deum à nobis mortali-  
bus hunc cultum vel  
potissimum require  
re, ut perpetua me-  
moria, repetitione &  
illustratione, uerbum  
coelitus patefactum celebremus. San-  
ctus enim uates Dauid, non sine gra-  
ui consilio, in exordio diuinarum O-  
darum, hanc uocem sonat: Beatus vir,  
qui Lege Domini delectatur, & in le-  
ge eius meditatur die ac nocte. Et A-  
postolus præcipit, ut uerbum Dei ha-  
bitet apud nos abundanter. Non autē

A 2 uul,

Præfatio.

vult, hoc sacro sanctum κερμάτιον, in ar-  
cam tantum domesticam includi atq;  
asseruari, sed in lucem potius atque u-  
sum publicum proferri, ut sit quasi fax  
lucidissima, super candelabrum, imo  
etiam in montem excelsum collocata,  
quæ in opaca nocte, alijs uere tenebris ir-  
ruentibus, gratum atq; utilem fulgo-  
rem iter facientibus præbeat. Fateor  
equidem, plurima esse scripta, nihilq;  
dici posse, aut debere, quod nō dictum  
sit prius, in primis uero æternas nos  
Deo gratias debere profiteor, tum pro  
sacris Biblijs reuocatis in lucē, & trans-  
latis non modò in alias, sed etiam om-  
nium maximè in Germanicā no-  
stram lingua, qua quidem trāslatio-  
ne nulla extat post Hebraicos fontes,  
magis propria & illistrior: tum uero  
pro monumentis & commentarijs D.  
Martini Lutheri, quibus sacros libros  
exposuit, grauissimas cōtrouersias ex-  
plicauit, atq; Antichristum Romanū  
adeò evidenter monstrauit, tamq;  
ualidè

*Præfatio.*

ualidè prostrauit, ut etiam ipsi pontifi-  
cij ultrò fateantur, sese non habuisse ul-  
lo seculo acriorē, & sibi perniciosiore  
hostem: Attamen ut abundet uerbum  
Dei inter nos, censeo nos mandato di-  
uino obstringi, ut non desinamus, do-  
nec hic mundus durat, linguae huma-  
næ loquuntur, atq; pennarū, atramenti  
& papyri copia nobis ab ipso Deo sub-  
ministrat, Verbum Domini repetere,  
predicare, scribere, sculpere, pingere, o-  
mnisq; ratione celebrare & propagare.  
Deinde grauissima ratio nos cogit, ut  
repetitiōes doctrine cœlestis nō inter-  
mittamus, q; ille acer & indefessus Dei  
atq; Ecclesiae ipsius hostis, non desinit  
zizania in agrum Domini spargere at  
que triticum suis fœdis tribulis oppri-  
mere. Etsi autem iste rabiosus & men-  
dax spiritus, ueteres errores subinde  
in scenam producit, tamen miranda  
astutia & arte, nouos quasi cothurnos  
eis induit, tantaq; specie exornat, ut  
plurimos decipiatur. Imò I E S V S

A 3 CHRI-

*Praefatio.*

**C**H R I S T V S, omniscius Deus,  
Caput & Rector Ecclesiæ ueræ per-  
petuus, eiusmodi admonitionem de  
nouissimis temporibus nobis propo-  
suit: Surgent, inquit, pseudoprophetæ  
& Pseudochristi, & facient prodigia &  
signa multa, ita ut periculum sit, ne in  
errorem ducātur etiam electi. Tristissi-  
ma certè oratio, in qua significat  
Christus, tantam fore subtilitatem, tan-  
tamq; speciem falsorum dogmatum,  
ut etiam recte sentientes eis applausu-  
ri sint, putantes, sese ipsam ueritatem  
amplecti & tueri.

Viuimus autem nos miseri morta-  
les hodie, in istis tristissimis mudi tem-  
poribus, ubi cœlum, aer, terra, mare &  
omnes creaturæ, quali in extremo ago-  
ne constitutæ sunt, atq; mortem, hoc  
est, interitum mundi haud procul ab-  
esse, innumeris argumentis & prodi-  
gijs testantur. Errores uero tam multi  
plies passim inundant, tamq; latè se-  
se diffundunt, ut uideantur omnia bre-

*Præfatio.*

ui, quemadmodum in diluuio, uanitatis & præstigijs succubitura. Quocunque te uertis, noua subinde sententiarum monstra parturiri, fama non obscura percipis. Nihil hoc loco de reliquis præstigijs dicam, ne prolixia commemoratione Vestræ Celsitudines detineam. Saltē in præsentia Vestræ Celsitudines expendere dignentur, q̄ horribile dogma, quidā in Polonia publicè impressis scriptis, defendendū suscipiāt, nempe filiū & spiritum sanctū, nō esse unicū & solū Deum cū Patre, sed Patrem duntaxat, esse unicū & solum unū Deum. Filium esse quidē Deum de Deo genitū, sed nō esse solum illum et unicū Deum, que quidē proprietas, soli Patri conueniat. Hæ præstigia quibusdā scripturæ dictis exornatae, adfūlpatores nō paucos inueniunt, iustissimo Dei iudicio, ut erroribus illaqueantur, qui patefactæ ueritati acquiescere nolunt. Intelligent quidē omnes pīj, Arium ex ipsa Stygia palude reuerti in

A 4 hanc

Præfatio!

hanc lucem, ac doctrinam de Deo rabi  
osè iterum conuellere. Verùm ita se ge  
runt isti Protei, ut faciem Aris uidean  
tur abhorrere, re ipsa tamen ueluti in  
cantatores, ueteri Ario nouos colores  
illuminunt, atq; in theatrum producunt.  
Debebat igitur uniuersa Ecclesia Chri  
sti, preces, confessiones, confutatio  
nes, operamque omnem coniungere,  
ut istæ horrendæ blasphemiae, contra  
Filiūm Dei & Spiritum sanctum ebuc  
cinatae, retunderentur & conuinceren  
tur. Nam Filius Dei & Spiritus san  
ctus, ex solidi Maiestatis suæ, ab istis no  
uis & crudelibus Gigantibus detur  
bantur, atq; ex articulo fidei quasi exau  
torantur & delentur, tali pacto, ac si Fi  
lius Dei & Spiritus sanctus, non sint  
unus & uerus Deus cum Patre, de quo  
dicitur, Non habebis Deos alienos. I  
tem, Audi Israel, Dominus Deus tu  
us, Deus unus est. Contendunt enim  
isti θεόμαχοι, ubi cuncti unici Dei men  
tio fit, ibi solummodo Patrem intelli  
gendum

*Præfatiō.*

gendum esse, quod̄ is sit unicus & so-  
lus Deus, non Filiū, non Spíritū  
sanctū.

Quanta autem plurimorum in Ec-  
clesia hodie docētium, ignauia sit, imo  
potius malicia, qui malunt omni gene-  
re conuiciorum recte sentientes & mo-  
nentes deformare, q̄ solidē & neruo-  
se errores iam passim pullulātes, imo  
dominantes, ex uerbo Dei refutare, in  
felicia hæc tempora satis superç̄ de-  
clarant. Necq; uero satis est, ueluti præ-  
toriana quadam autoritate, tantum u-  
no aut altero uerbulo ē sublimi sella  
detonare, hæc falsa sunt, hæc reiſcimus,  
sed fundamenta rerum paulo plenius  
erant proponenda, ut non modò Ec-  
clesia Dei robur articulorum fidei con-  
spiceret, sed etiam Veritatis aduersarij,  
seſe luce & mole quasi uerbi diuini ob-  
rui animaduerteret, oraq; blasphemā  
non auderent iterum aperire.

Ego igitur dolens miseram Eccle-  
sie Dei uicem, infirmissimus inter pue-

A 5 res

*Præfatio.*

ros & lactentes Christi, meā uolui quā  
Iemcunq; confessiunculam, nouis A-  
rianis, hostibus Christi & spiritus san-  
cti, obījcere, ut si eos expugnare aut re-  
tundere nō possem, saltem utcunq; te-  
statum facerem, me ipsorum blasphem-  
rias non approbare, & monerem Ec-  
clesiam Dei, ut pro gloria Dei conser-  
uanda, armis uerbī diuīni, & precibus,  
in excubijs, imò in ipsa acie consistant.  
Labefactata enim, imò penitus euersa  
doctrina de Deo, quid lucis, quid fidei,  
quid cōsolationis retinebimus? Spero  
tamen et hanc meam operam, ne quaq;  
futurā esse inanem. Etsi, n. ego sum im-  
becille Christi organon, tamē scio, me  
& ueritati diuinæ patrocinari, & uerbū  
Dei, quod istis monstris Arianiis oppo-  
no, sua uirtute ac robore esse ualidissi-  
mum atq; efficacissimū. Non potest il-  
le immanis Gigas, Deū Israēl blasphe-  
mans, paruos lapillos ex funda Dau-  
duli, imbellis illius pastorculi, in fron-  
tem illisos sustinere, sed corruit uasto  
suo

*Præfatio.*

Suō corpore, ac proprio gladio iugula-  
tur. Ad eundem modum cōfido, istos  
cœli ac diuinæ Maiestatis oppugnatō,  
res, uerbi diuini fundamenta, quæ reci-  
to, atq; in ipsorum frontes impingo,  
quæq; lapillis Dauidis multò sunt for-  
tiora, multò minus toleraturos esse.  
Non enim aberrat uerbum Dei, necq;  
ipsis ulla g̃rea frons erit saluti. Pugnant  
nobiscum contra istos blasphemos la-  
trones, ipse filius Dei & Spiritus san-  
ctus, atq; suum honorem vindicabūt,  
sine ulla dubitatione. Video quidē no-  
bis duo obsistere, quæ nullo modo ex-  
tenuanda sunt: Primum iram Dei, ob  
peccata hominū frena blasphemis spi-  
ritibus laxantis: & deinde mundi ex-  
tremam cladem & ruinam. Sed est tā-  
mē certissimum, nostros qualescunq;  
labores, in Domino susceptos, non fu-  
turos esse irritos. Sentient, inquam, isti  
quantum uis temerarij & impudentes  
Christi & Spiritus sancti hostes, Virtu-  
tem Verbi diuini eos confundentis in

P̄fatio.

intimis uisceribus, & p̄ij in agnita ueritate confirmabuntur, atq; ad confessio nem exuscitabuntur. Deinde suo tempore, Filius Dei istis nouis ueteris Ar̄ij monstris, uiscera ex impuris uentribus excutiet. Istud iudicium iusti uidebunt & lætabuntur.

Hac ego fide, cum Ecclesia, cuius membrum sum, hanc breuem confutationem ex uerbo Dei depromptam, edo, ac reliquos doctiores & facundiores oro atq; obtestor, ut ipsi ornatius & fusiū hanc controuersiam, pro conseruatione gloriae Dei, explicent.

Volui aut̄ initio repetere doctrinam Iaculentissimam, maximeq; necessariam DE DEO, breuiter, succincte & perspicue, multis disputationibus perplexis amputatis atq; omissis, eam maxime ob causam, ut tam hostes ipsi, q; amici palam cerneret, quale genus doctrinæ de Deo, Ecclesia Christi profiteatur, atq; ut aduersarij oēs clare indicarent, quam partē ipsi, & ex quibus fundamentis

*Præfatio.*

damentis improbēt. Non est, n. doctrīna Ecclesiæ Dei, intricata uel occulta. Hereticis aut̄ hoc proprium est, unam aliquā partē uellicare obscuris uerbis, & falsam sentētiā tam perplexē, tam intricate, tam horridē proferre, ut mōstrum ipsum, ex monstrositate orationis, non possis rectē cognoscere, cuius quidem uertiginis, etiā Ariani isti P̄ionici, exemplum publicum exhibēt.

Deinde subieci Analysis argumen-  
torum, quibus suū illud blasphemum  
dogma, conantur inuoluere atq; fulci-  
re, ut ipsimet Ariani uiderent, nos can-  
didē & planē ipsorum errores diluere,  
& ut Ecclesia Dei facilius istas fraudu-  
lentas machinationes, quibus ipse ue-  
rus ac uiuens Deus impetitur, agnoscet,  
abhorret, detestaretur. Nam ipse  
ordo rerum, ab ipsa natura nobis mon-  
stratus, hoc postulat, ut prius nostra  
proferamus atq; confirmemus, ac po-  
steriori loco aduersariorum insultus  
& conatus infringamus et retūdamus.

A 7 Tertio

Prefatio.

Tertio subieci breve compendium  
de uolūtate Dei patefacta, tum seuera,  
tum propicia: Non enim satis est, nos  
essentiam Dei cognoscere, sed uolun-  
tas quoq; eius audiēda & discenda est.

Oro autem filium Dei & ipsum spi-  
ritum sanctum, pro quibus hoc breve  
scriptum in medium affertur, ut uerbo  
suo uim & efficaciā tribuant, ut aliqui,  
qui à ueritate diuinitus patefacta, exor-  
bitarunt, in uiam reuertātur, reliqui ue-  
rō pertinaces, confundātur, ne suis im-  
puris linguis blasphemare pergent.

VOBIS autem Illustrissimi Princi-  
pes, & Domini, hoc scriptum publicè  
nuncupo & dedico, hasce potissimum  
ob causas. Primum, ut meam erga  
Vestrás Celsitudines reuerentiam de-  
clarem, cùm sim adhuc ciuís Vestræ  
regionis. Habeo enim adhuc meam  
domunculam Jenæ.

Deinde, quia hanc ipsam doctrinā,  
sicuti nunc eamedo, Jenæ in Acade-  
mia studiosis, in frequenti auditorio,  
Deo

*Prefatio.*

Deo benedicēte, proposui. Redeat igitur ad Vestrā Cellitudines hæc doctrina, sicut in uestra terra à me est tradita.

Tertio, quia spero, Vos syncerā confessionem doctrinæ, diuinitūs patefactæ per salutare & eximium organon D. Martinū Lutherum, pīæ memorię, summa fide & cōstantia cōseruatuos esse, ac datus operā ratione officij uestri, Deo aspirante, ut in uestra Academia, in uiolata Dei & Lutheri doctrina tradaſ, omnesq; errores, in uicinis & remotis locis exoriētes, clarè, perspicue, grauiter, solide, ex uerbo Dei, nō ambigū aut perplexè refutenſ. Nam Deus hoc mādati prescripsit, ut non tantūm suum uerbū dextrè, ordine & luculentiter proponatur, sed etiam, ut contradicentes conuincant̄, & os ipsis obstruantur. Cum hoc precepto diuino cōsentit Illustrissimi principis, & æterna laude dignissimi, IOHANNIS FRIDE, RICI primi, uestri parentis, Martyris Christi nobilissimi, mens atq; preclara constitutio,

Prefatio.

constitutio, q̄ propter hunc seop̄ ac fū  
nē potissimū & principalissimē, Aca/  
demiam Lenensem maximis impensis  
aperuit & erexit, ut sacrosancta Theo/  
logia, in hac schola oīm maximē flore/  
ret, tali quidē pacto, ut syncera & incor/  
rupta doctrina, à Deo & Luthero ex/  
posita (nam Lutherus ipsam Dei do/  
ctrinā docuit) proponeretur, & errores  
iam in propinquis locis & remotis ex/  
orti, & deinceps exorituri, ipso uerbo  
Dei, liberè, dilucidē, grauiter refutaren/  
tur. Videbat. n. Heros ille sanctissimus  
& spū Dei fortissimus, quomodo iam  
nō modō inclinaret, sed cōcideret pror/  
sus uniuersa uera religio, tātis miracu/  
lis Dei, tātisq̄ sudoribus & doloribus  
hōim constituta: & magis hac ruina cō/  
mouebat, q̄ multi alij filij huius seculi,  
qui errores uix flocci faciūt, & ad latus  
nauis felicius, sine pauore conscientię,  
se se conuertunt. Laudabiliter etiam  
Vestræ Celsitudines fecerunt, q̄ hanc  
pijssimi patris intentionē, ipsi exordio  
statutorum

Præfatio.

statutorum inseruerint, ut perpetuo in  
hac Academia, mens ac finis primi Fū  
datoris huius Academiæ, sonaret.

Edidistis statim in ipsis exordijs no-  
uæ Academiæ, sub uestrarum Celsitu-  
dinem nominibus, ueram, necessari-  
am, utilem, præclaram confutationem  
errorum & præstigiarum, quibus in  
aliquot locis turbata & deformata est  
Ecclesia Dei. Ea confessio, pro uerita-  
te cœlesti, contra zizania inimici ho-  
minis suscepta & publicata, ipsi Deo  
erat honorifica, Ecclesiæ Dei salutaris,  
& uestræ quoq; Celsitudini gloria,.  
Omnes enim pīj in Christiano orbe,  
oculos in uestras Celsitudines coniece-  
rant, quōd sub uestra umbra, & in hac  
uestra Sarepta, pījs & synceris professo-  
ribus sacrosanctæ Theologiæ locus fu-  
turus, puraç doctrina, si uspiam alibi,  
certè hac in schola scaturitura, indeque  
in alias regiones emanatura esset. Sed  
postquam malis consultoribus, res eò  
deducta fuit, ut nōnulli homines ipsos  
errores,

*Præfatio.*

errores, tanto pondere uerbi diuini refutatos, cum ueritate astutè conciliare studerent, & sese ad eos, qui præstigias (in Vesta confutatione, iustissimo ze Io, ex ore ipsius altissimi & eterni Dei, solidissimè et neruosisimè damnatas) superbè & pertinaciter fouēt & retinēt in hodiernum usq; diem, familiariter coniungerent; & confutationes illæ non recusæ sunt sapientis, ad honorem Dei, ac piorum doctrinam atq; salutē, & Ecclesia, quę non curuauit genu ante Baal, in magno & graui luctu fuit, ut nihil aliud dicam. Quid uero damni amplius sit consecutum, non dubito  
Vestras Celsitudines in timore Domini, & sapienter, & cum dolore expēdere. Vox enim Dei est, Glorificātes me glorificabo, & negligentes me, negligam. Si quis uelit autoritate, felicitate, fortunis crescere, eum certè necesse est fauentem habere Deum. Nam ex benedictione Dei omnia pendent. Inuito aut irato Deo, nihil erit fortunatū, nihil

*Præfatio.*

nihil beatum . Istis autem benedicit Deus, qui sibi confessione ueritatis, & corruptelarum libera atq[ue] ingenua refutatione atque detestatione, seruiunt. Namq[ue] de hoc zelo remittere, & uanitatibus cedere, est ipsum Dei honorem, in graui discrimine relinquere, magisque errorum autoribus, quam fonti ueritatis operam dare . Etsi autem Veritatis professio , atque pestilentissimorum errorum condemnatio , aliquid laboris & aduersitatis in mundo adfert : Nam mundus in maligno positus est , neque cessat ipse princeps mundi , eiusmodi Confessores affligere : tamen se tandem diuina benedictio potenter & gloriose exerit, ac generationi rectorum benedicitur , si ipsi quoque recti ac iusti permanserint.

Ego quidem Principes Illustrissimi, quod citra iactantiam in timore Domini asseuerare possum, in Vesta scho la & Ecclesia, nihil aliud sonui, quam quod

*Præfatio.*

quod ex monumentis Prophetarum  
& Apostolorum, & Lutheri scriptis,  
didici, & illos ipsos errores, quos Ve-  
stræ Celsitudines in confutatione illa  
illustri, Vestrisque Celsitudinibus di-  
gnissima, indicarunt, arguerunt, & ex  
solidissimo atque lucidissimo Verbo  
Dei conuicerunt, atq; ex uniuersa Chri-  
sti Ecclesia explodendos & extermini-  
nandos esse censuerunt, semper qua-  
potui fide & diligentia, impugnaui, &  
impugnabo, regente me Deo, quoad  
uixero, nec propter qualem cunctæ cru-  
cem, me ab hoc proposito abduci pa-  
tiar, neque iniqua iniquorum homi-  
num iudicia, obtrectationes, sannas,  
morabor. Eaque in parte etiam ad Ve-  
stræ Cels. Confutationem errorum,  
me libenter & publicè refero atque ad  
iungo, sicut spero Vestras Celsitudi-  
nes ex meis libellis in lucem datis, ali-  
quo modo id hactenus perspexisse.  
Quale porrò corpus doctrinæ, ex Ve-  
teri & Nouo Testamēto, à me & meo  
Iudi-

*Præfatio.*

Iudice sit collectum , atque confessio-  
nis gratia , de singulis articulis doctri-  
næ cœlestis editum , forte uobis est ui-  
sum . Licet autem saginatus quidam  
porcus , obscuro murmure ad illud cor-  
pus doctrinæ omnipotentis Dei grun-  
niat , tamen res ipsas non mordet , ac  
tantum circa ipsum titulum habet ro-  
strum , quem tamen neque grunnitu-  
ullo abolere , neque saliuia ulla eluere ,  
neq; dente ullo eradere poterit . Benedi-  
ctus sit Deus in æternum , qui istos Mo-  
mos , in ipsa astutia & impetu calumni-  
andi ac maledicendi , confundit .

Peto igitur , qua possum reuerentia  
& humilitate , ut Vestræ Celsitudines  
hoc scriptum de D E O , clementer à  
me humili seruo Christi crucifixi , acci-  
pere , ac rectè sentientium & confiten-  
tium Theologorum , curam ac patro-  
ciniū suscipere dignentur . Utinam  
Dominus Deus in uestra Academia  
laudetur , & errores , contra quos Lu-  
therus & aliij pīj acerrimè & dexterri-  
mè

*Præfatio.*

mē pugnarunt, recta & intrepida uōce, indicentur & redarguantur. Hoc si factum fuerit, arca Domini ibi habitabit, & amplissimā benedictionem affēret. Hæc ego ex toto pectore precor & opto. Bene in Domino ualeant, uiuant, & florent Vestræ Celsitudines.


V. C.

A.

Iohan. Vuigandus D.

i  
a  
e  
z

o



DE DEO  
**METHODI**  
CA EXPLICATIO.

LIBER PRIMVS.



RIVS QVAM ea, quæ ad explicationem grauissimi articuli de Deo pertinent, prosequamur, in genero commonefaciendi sunt discentes, de duabus rebus. Primum, quibus de causis ueram Dei cognitionem discere, eamq; firma fide retinere. Deinde, unde sit ea noticia haurienda, ne à ueritate aberremus, uagemur animis, aut in blasphemias contra Deum, cæci & furenter ruamus.

¶ Quod necesse sit, omnes homines uerā de Deo noticiam discere ac tenere, hæ rationes docent.

I. Præceptum diuinum, & quidem omnium primum in Decalogo positum, quod est tale: Non habebis deos alienos. Non enim temerè in hunc sumnum

B locum

cum istud præceptum collocatum est. Voluit procul dubio Deus, omnes mortales omnibus etatibus docere, sese esse conditorem hominum & omnium aliarum creaturarum, ac precipue hoc uicissim à rationali creature requirere, ut se recte cognoscat & celebrent. Esse quoq; ueram sui noticiā, fontem & caput omnī pietatis. Hinc porrò liquet, nullum esse peccatum in mūdo grauius aut atrocius, quam nulla affici cura cognoscendi suum creatorē, aliaq; numina pro arbitrio suo errabundo comminisci, quae non sunt Deus. Nam inter idolatriam, & ueri Dei cognitionem nihil est medij. Omnis homo ignarus uerum Deum, est idolatra, etiam ipſissimus Epicurus, licet ab omni numine siue uero siue falſo uelit esse alienus. Colit enim magnum illum Deum, qui dicitur Venter, eiq; studiose sacrificat.

2. Creatio hominis ad imaginem Dei. Imago autem archetypum repræsentare debet. Ac si perstittissent homines in illa sua primæua integritate, iustitia & sanctitate, nihil fuisset prius, nihil dulcius generi humano, quam iuxta illustrem noticiam, quam suis pectoribus insitam habebant, uerum istum Deum, ore atque omnibus actionibus in uniuersa uita, prædicare & glorificare. Etsi autem horribili clade affecti sunt homines, per Diabolum, tamen Ius ipsum Dei, hoc est, præceptum, quo exigit ueram sui cognitionem, & cultum ei respon-

## De noticia Dei.

3

respondentem, non tollitur. Nam defectum & ui-  
ciorum nostrorum, non est ipse Deus autor, uem-  
rum Diabolus & homines, ut sacra Scriptura  
docet.

3. Redemptio generis humani, ac regenera-  
tio per Baptismum, donatio spiritus sancti, reno-  
vatio nostra spiritualis. Templa enim Dei effici-  
mur, non ut ueluti bruta omnis rationis, quo ad  
res diuinis, expertia, uitam agamus, sed ut pau-  
latim imago Dei in nobis restituatur, Deumque  
uerum cognoscamus, & iuxta uerbum reuelatum  
colamus.

4. Inuocatio Dei & gratiarum actio. Vniuer-  
sa enim uita hominis tam est infirma, egena, misera,  
omnibusq; casibus exposita, ut sine benigno &  
perpetuo Dei auxilio, sustentatione, gubernatio-  
ne, consistere nequeat. Omnibus igitur mortalibus,  
omnium maxime necessaria est cognitio Dei. Nam  
absq; ea, uera & ardens inuocatio fieri non potest.  
Quid uero miseriis est tali homine, qui Deum sua-  
um, in uarijs huius uitæ miserijs, inuocare non  
potest? Huc pertinet gratiarum actio, quæ est  
agnitio & celebratio beneficiorum Dei, & quæ  
quidem, absque Dei noticia, præstari minimè  
potest.

5. Patefactio Dei in uerbo certo diuinitus tra-  
dito, & illustribus testimonij. Conseruatio & pro-

pagatio uerbi diuini, omnibus etatibus. Vult igitur Deus se agnoscit.

6. Omnim genitum religiones, iudicia politica, & ciuiles pœnae aduersus acœsus, testantur, necessariam esse hominibus Dei noticiam, licet Ethnici destituti Verbo Dei, in horrendis tenebris Oberauerint, ac Deum uerum blasphemauerint:

7. Pœnae diuine Epicureorum & Idololatraru. Nulla enim peccata in mundo DE VS severius puniuit, quam ignorantem ueri Dei, ac factorum minimum cultum.

8. Homines sine Dei noticia uiuentes, non tantum bestijs deteriores sunt, sed etiam sunt organa, mancipia, cloace Diaboli, uasa ire Dei & æternæ damnationis, quamdiu quidem tales manent.

Hæ rationes citra omnem controversiam gravissimæ, omnium mortalium mentes excitare debent, ut statuant, sibi in primis ueram Dei noticiam necessariam, summaq; cura ac studio expetendam esse.

Vnde uera Dei noticia sit petenda.

Operæ pre cium omnino est, hæc quasi facē nobis accendi, ut ex horrendis tenebris, quibus immersi sumus omnes propter peccatum, eluctemur, ut que certi de tantis fidei rebus simus, nos non errare.

Non potest autem uera ac firma Dei noticia, ex speculationibus mentis humanæ, quantumvis altis, percipi.

percipi. causa est, quia extincta illa præclaraluce, qua erant primi homines à Deo in prima illa creatione ornati, & quam erant propagaturi in omnes posteros suos, Diabolus horrendas tenebras in totum genus humanum effudit, ut tristissimis illis caliginibus oppressum, iam sponte sua uerum Deū cognoscere nequeat, iuxta dictum i. Cor. 2. Animális homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.

Deinde liquet & illud, quod ex monumentis Ethnicorum, ea noticia Dei uera & propria percipi non posse. Quantos enim errores imò furores et blasphemias contra Deum, præstantissimi quicquidem ex summa sua sapientia, qua excelluerunt, pro-tulerint, ipsorum libri satis superque declarant.

Ex uerbo igitur diuino duntaxat, comprehenso in monumentis Prophetarū & Apostolorū, uera solidaque Dei noticia baurienda est. In uerbo autem diuino, non tantum nudæ sententiæ de Deo propo-nuntur, uerum etiam illustrissimæ patefactiones re-citantur, quæ docent, quis & qualis sit Deus. Sunt autem illæ patefactiones duplices: aliæ enim de ipsa substantia diuina testimonium dicunt, ut appa-ritio Trinitatis in baptismo Christi, uisibilis effusio spiritus sancti in Pentecoste, Mißio filij Dei in car-nem. Aliæ eius opera, ex quibus cognosci uult, de-clarant, ut sunt miracula, conseruatio Noë in dilu-uio, Traductio populi Israclitici per mare rubrum

¶ Iordanem siccis pedibus, resuscitatio mortuorum.  
Ex uerbo igitur Dei perspicuo, & reuelationibus  
h[ic]se diuinis ac testimonij amplissimis, uera Dei do-  
ctrina percipienda est, id quod & Paulus docet 1.  
Corint. 1. Cum mundus Deum sapientem non nosset  
per sapientiam, placuit Deo, per stultam prædicâ-  
tionem saluos facere credentes. Et Psal. 118. Lucifer=  
na pedibus meis uerbum tuum.

## ¶ Obiectio.

Deum nemo uidit unq; Job. 1. Ergo nemo potest  
ueram Dei noticiam consequi. R. Additur, Vnige-  
nitus filius, qui est in sinu Patris, ipse nobis enarra-  
uit. Etsi autem in hac corrupta & mortali uita,  
tam imbecillis est nostra natura, ut Maiestatem  
essentiæ diuinæ, qualis ea est dignitate et gloria, nō  
possimus ante glorificationem nostram coram in-  
tueri, tamē ita se Deus patescit suo uerbo, ut certò  
sciamus, quis & qualis sit Deus, atq; insuper inuolu-  
cris quibusdā nobis perceptibilibus, apparuit. Mo-  
ses uidit posteriora Dei, Abraham cōspexit tres ui-  
ros, Filius Dei induitus carne humana, conspectus  
est ab Apostolis, cæterisq; qui tum in Iudea uixe-  
runt: Spiritus sanctus uisus est in specie columbæ et  
ignis. Hisce reuelationibus adiunctis perspicuo uer-  
bo, contenti simus, neq; ulterius euehamur, quam-  
sunt nostra imbecillitas, sat habemus, si illa probè di-  
scamus, quæ de sua essentia & uoluntate Deus in-  
expressa.

## De noticia Dei.

7

expresso uerbo nos uoluit scire. Philippum Apo=  
stolum ab altis speculationibus, filius Dei ad se me= =  
ipsum retrahit, Qui uidet me, inquit, uidet Patrem  
Iohan. 14. Et in Veteri Testamento, Deus facogno  
sci uolebat, ex suis ipsis operibus, Ego inquit sum  
Dominus Deus tuus, qui te eduxi ex Aegypto.

Porro istarum rerum consideratio, nos monet,  
ut sobrie de tantis mysterijs loquamur. Nam qui  
scrutatur Maiestatem, opprimetur à gloria, ut scri  
ptum est Prover. 25. Præterea, quæ ratione nostra  
metiri non possumus in hoc articulo, fide nos ap= =  
prehendere oportere sciamus, ut Deo dicenti ucri= =  
tatem tribuamus.

### ¶ Series præcipuarum partium in articulo de Deo.

1. An sit Deus.
2. De appellationibus Dei.
3. Quid sit Deus.
4. Quòd Deus sit unus essentia.
5. Quòd tres sint personæ unius & eiusdem es= =  
sentiae.
6. De Patre.
7. De Filio.
8. De Spiritu sancto.
9. De actionibus Dei.
10. De compositis quibusdam.

## DE PRIMO.

¶ Quòd sit aliquis Deus.

**C**AUSÆ, cur mentes humanæ interdū dubitent,  
an sit Deus, omnia uidens, sustentans atq; gu-  
bernans, sunt istæ.

1. Spoliatio imaginis Dei in homine, & horribili-  
lis depravatio, obscuratio & malitia mentis huma-  
næ, in qua debuissent noticiæ de Deo illustres, natu-  
raliter flagrare.

2. Quòd Deum non cernimus omnes corporali-  
bus oculis in mundo, perinde ut personam regis aut  
Principis aut iudicis alicuius coram intuemur.

3. Euentus mirabiles, quorum causas sëpe igno-  
ramus, & quos putamus longè alios esse debere, si  
Deus existeret, omnia cernens & curans, ut sunt,  
Fælicitas impiorum, & ex aduerso bonorum res  
infælices, quæ quidem sëpe sunt & grauissimæ &  
diuturnæ: itē löganimitas Dei, qui atrocissimis pec-  
catis pollutos, non extemplo pœnis seueris afficit.

4. Mortis imperium & tyrannis, grassans pari-  
ter tum in bonos tum in malos, cuius quidē rei cau-  
sam ignorant mentes humanæ, luce uerbi diuini  
destitute.

5. Deniq; Diaboli uis ac potentia, qui hominibus  
uarias præstigias offundit, imò etiam obcecat &  
indurat eos tanta ui, ut non modo ambigant, an sit  
Deus,

# Quod sit Deus.

9

Deus, sed etiam penitus eius obliuiscantur, & furio  
se omnis generis scelera patient.

Confirmandæ igitur sunt mentes humanæ, firmis  
ac solidis rationibus & testimonij, ut excussa omni  
materia dubitationis, certò statuant, esse Deum om  
nia creantem & moderantem, eumq; uera fide in  
uocandum & celebrandum esse.

Rationes, ex quibus homines, prestantia  
& sagacitate mentis suæ, etiam absq; uerbo  
diuino, aliquo modo decernunt esse Deum.

Omnia Dei opera in tota hac mundi machina,  
evidenter demonstrant & conuincunt, esse De=  
um aliquem sapientissimum & potentissimum, ar=  
chitectum & conseruatorum perpetuum rerum o=  
mnium. Aliás enim non possent ista omnia, quæ sunt  
in mundo, casu existere, aut perdurare. Sed ista nō=  
nihil euoluenda sunt. Quod igitur sit Deus, gentes  
etiam saniores senserunt, & fuerunt ipsis in conse  
ctu hærationes.

1. Ipsa hominis admiranda & pulcherrima fa=  
bricatio, innumeris testimonij Dei ornata, ut non  
immetit homo sit appellatus μηδένος μόνος. Lu=  
cet enim in homine discrimin honestorum & tur=  
pium, quod est regula omnium actionum necessa=  
riarum in uita humana, & nihil est tam minutum  
in homine, quin de Deo luculentissimum testimoni=  
um dicat, ac detestandus est ille stupor hominum,

B 5 quod

quòd tot ac tantarum rerum præstantiam non ex-  
pendant. Sed uberior explicatio ex Physicis peten-  
da est, ubi singula membra hominis exactius con-  
siderantur. Differimus enim hac in parte tantum  
de Ethnica Dei cognitione.

2. Conscientiae sensus. Nam in tetricis facino-  
ribus, ut in parricidio, incæstu, & similibus atro-  
cibus peccatis conscientia in omnium hominum ani-  
mis, arcana quadam uis sentit, Deum esse inspecto-  
rem & ultorem scelerum, etiam si immunes sint fa-  
cinorosi à pœnis Magistratum.

3. Pulchritudo, ordo, effectus, propagatio,  
conseruatio, & duratio rerum omnium in mundo.  
Res fert Cicero libro secundo, de natura Deorum  
ex Aristotele pulcherrimum locum, quem non pi-  
gebit ascribere. Preclarè Aristoteles, si essent, in-  
quit, qui sub terra semper habitauissent, bonis &  
illustribus domicilijs, que essent ornata signis &  
picturis, instructaq; rebus his omnibus, quibus ab-  
undant hi, qui beati putantur, nec tamen exissent  
unquam supra terram, accepissent autem fama &  
auditione, esse quoddam numen & uim Deorum,  
Deinde aliquo tempore patefactis terræ faucibus,  
ex illis abditis sedibus evadere in hæc loca, que  
nos incolimus, atque exire potuissent, cum re-  
pentè terram & maria cælumque uidissent, nubi-  
um magnitudinem, uentorumque uim cognouis-  
sent,

sent, aspexit q̄; solē, eiusq; tum magnitudinem, pulchritudinemque, tum etiam efficientiam cognoscere, quod is diem efficeret, toto cœlo luce diffusa, Cū autem terras nox occupasset, tum cælum totum cernerent astris distinctum & ornatum, Lunaeq; luminum uarietatem, tum crescentis tum senescentis, eorumque omnium ortus & occasus, atque in omni eternitate ratos immutabilesque cursus, que cū uiderent, profectio & esse Deos, & hæc tanta opera Deorum esse arbitrarentur.

4. Distinctio & conseruatio specierum, quæ se se in mundo multiplicant & propagant quotannis.

5. Societates, regna & imperia hominum, que non temerè coēunt, confirmantur, sustentantur, mutantur.

6. Pœnæ sceleratorum admirandæ & graues, etiam cessante à suo officio Magistratu ciuili. Nam hæc regula uniuersaliter uera est, Atrocia delicta comitantur atroces pœnæ diuinitus, id quod non fieret, si non esset Deus executor suæ iusticiæ.

7. Præmia recte factorum. Nam etiam disciplina inter ethnicos, habet sua quædam præmia politica & mundana.

8. Ordo causarum, qui in rerum natura, non procedit in infinitum. Sed necesse est tandem ad tale aliquod numen deuenire, quod gubernat omnia, inq; eo consilere.

9. Prodigia & signa, quæ res maximas portentunt, ut sunt Eclipses, Cometæ, Chasmata, Traiectiones, terræmotus & hiatus, quibus totæ ciuitates absorbentur, insulæ subsidunt & obruuntur undis, locustarum agmina, partus monstrosi, & similia.

Hæ rationes animos, non prorsus monstrosos atque à Diabolo induratos, conuincunt, ut statuere cogantur, esse Deum. Sed & hoc sciendum est, tantam esse peruersitatem hominis, tantasq; in eo recognare tenebras, ut uel non cogitentur ista argumenta, uel subinde mentes quasi unde uenit agitate fluctuant, hæsitantes, an sit reuera Deus, & alacaret res humanas.

¶ Fundamenta Ecclesiarum Dei, quæ multò luculentius & firmius demonstrant esse Deum, quam Ethnica argumenta.

1. Verbum Dei, expreſſe hunc articulum tradens & confirmans, sicut in cæteris partibus huius loci explicabitur.

2. Patefactiones & apparitiones Dei, in Veteri & Nouo Testamento, multiplices & ualde illustres.

3. Missio filij Dei in carnem, ut expiatet peccata generis humani. Item effusio spiritus sancti uisibilis.

4. Miracula illustria, inimitabilia ullis creaturis, ut quod Sol stetit in cælo spacio unius diei pugnante Iosua. Item retractus est in cælis Sol per de-

cem gradus ægrotante Ezechia: quod undæ instar murorum utring; steterunt in mari rubro, & in Iordan, transeuntibus Israelitis: quod mortui ad uocem Christi & ministrorum ipsius, resurrexerunt: quod uiui homines, spectantibus alijs, recepti sunt in cælum, & similia. Hæc nequaquam possunt casu accidere.

5. Peculiaris Ecclesiæ uocatio, repudiatio & abiectione non exiguo mundi impio cætu, propagatio et conseruatio Ecclesiæ, contra furores Diaboli & mundi omnibus seculis.

6. Prophetiæ de rebus futuris, tum in Ecclesia Dei, tum in politia, & eventus, qui præfinito à Deo tempore, siue breui siue longo, præclarè respōdit.

7. Experientia auxiliij diuini in iuuacione. Item experientia fructuum, qui ex Euangeliij cognitione proueniunt, quales sunt, remissio peccatorum, consolatio & pax conscientie in summis mæroribus, donatio spiritus sancti, inchoatio nouæ obedientiæ, & similes.

8. Glorificationes sanctorum, ut Elias igneo curru uiuus in cælum uchitur, Lazarus recumbit in sūnu Abrahe, contrā diues lurco infernalibus flammis excruciatur, multi sancti, Christo expirante in cruce, in monumentis reuiuiscunt, & egressi, per dies quadraginta, donec Christus in cælum uisibiliter ascendit, multis pijs apparent, cumq; ipsis familiariiter

liariter de rebus diuinis colloquuntur.

9. Promissiones certae de futuro iudicio, resurrectione & uita æterna, in qua impii, contemptores & persecutores uerbi Dei, in infernum proiecti, æternas pœnas luent, piu uero, qui in Christum crediderunt, æterno gaudio & honore, cum Deo Patre, Filio & Spiritu sancto, & cum sanctis Angelis, potentur.

10. Sacra menta, ut Baptismus, qui est laetitiam regenerationis, clauium administratio, quæ fit nomine, hoc est, mandato & efficacia Christi, corporis & sanguinis Domini sub pane & uino fruitio.

Hæc sunt grauiſſima fundamenta, quæ Ecclesia Dei, præter illas rationes, quas ipsa ratio humana, aut collectio seu ratiocinatio ex operibus Dei, suppeditat, nouit & considerat. Hisce igitur argumentis mentes nostras confirmari decet, ne cæcitatibus dubitationi aut securitati ſponde indulgamus.

### CONTRARIA.

Protagoras dubitauit an eſſet Deus, id quod habuit commune cum multis alijs, ac discipulos quoque ſuos eadem opinione imbuit. Itaq; Atheniensium iuſſu, urbe atq; agro eſt exterminatus, ut refert Cicero libro primo, de natura Deorum.

Diagoras Melius, qui ab dictus eſt, Theo-

Theodorus Cyrenaicus, profisi sunt, omnino nullum esse Deum.

Securitas & pertinacia hominum, qui et si conscientia uicti, negare palam non audent, esse Deum, tamen excutiunt omnes serias cogitationes de Deo, & ita uiuunt sine timore Dei, factisq; terris sese contaminant, ac si prorsus negarent esse Deum, ut Psalmo decimo dicitur, Non est Deus, sunt omnes cogitationes eius, Et Psalmo decimo=quarto. Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.

¶ Argumentum, quo turbantur ignari uerae doctrinæ, aut non satis in ea instructi.

Si esset Deus, bonis bene, malis male esset. Sed in communi huius mundi cursu, plerunque bonis male, malis bene est.

Ergo utrum Deus sit, in dubio est.

Respondeo. Fons huius argumentationis est, ignorantia uoluntatis & gubernationis diuinae, in scitia discriminis inter res spirituales & corporales, item inter pœnae seu præmia huius & seculare uitæ.

Maior itaque falsa est. Aliud enim est iudicium Dei, aliaq; gubernationis ipsius ratio, quam homines suis tenebrisosis cerebris cōcipiūt aut somniant. Nam quodd p̄ijs & sanctis in Ecclesia Dei

male

malè est in hoc mundo, hoc est, morbis, egestate, odijs, exilijs, & alijs ærumnis exercentur, Deus suo quodam iudicio iustissimo facit aut permittit, ut in loco de cruce exponitur, nèpè, quia etiā in sanctis hæret peccatum, suntq; ipsi iusti imputatiōe, ac uult Deus in timore suo eos retinere, exercere, et probare in ipsis fidem, constantiam, confessionem. Deinde spiritualiter nunquam suos deserit Deus, hoc est, in afflictionibus donat spiritum Paracletum, ut possint sustinere, moderatur & mitigat euentum. Deniq; beatitudo piorum uera in hoc mundo, est potissimum spiritualis, consistens in imputatione iusticie per Christum, seu in gratuita remissione peccatorum, in leticia cordis erga Deum, in uera inuocazione, in tranquillitate conscientiae. At in æterna uita, omnium amplissima beatitudo piorum sequitur, ibiq; apparebit qualesnam sint Sancti. Exempli gratia: Iohanni Baptista est in hac uita male, dum fidelissime suo ministerio fungitur, ut quidem mundus iudicat: Nam persecutionem patitur à summis & potentissimis hominibus, ac tandem truncatur capite in carcere. Sed bene tamen habuit, quia Deus in his miserijs spiritualiter ei adfuit, accendit in eo fidem, constantiam, confessionem, lætitiam cordis, quibus rebus longè gloriosior fuit Herode regem opulètissimo, aut Pontifice Hierosolymitano splendissimo. Deinde præmia sua atq; æternā beatitudinem,

nem, breui in resurrectione accipiet, ubi toti mundo innotescet, quòd robur aut pulchritudo corporis, opes, uoluptates, non fuerint summa bona. Est et hoc adiiciendum, quòd non dat perpetuò Deus fluctuationem iusto, ut inquit Psalmus, sed testatur plurimorum sanctorum exemplis, se se etiam sanctis benefacere, et eos felicitate rerum mundanarum ornare. Abraham in exilio oberrans, mirabiliter Dei benedictione ditescit. Iosephus Aegyptius ut mancipium uenditus, et durissime tractatus inter impios, tamen tandem euehitur in regiam administrationem in Aegypto. Job amissis omnibus facultatibus, postea recuperat eas multò abundantius. Quòd uero non omnes p̄ij pariter corporalibus bonis afficiuntur, peculiari iustoq; iudicio Dei, ut dictum, imputandum est.

Quòd uero malis bene est, in mundo, hoc est, florent opibus, dignitate, successu rerum, id quoq; fit peculiari Dei iudicio. Vel, ut his Dei beneficijs moreantur ad cognitionem ueri Dei: Vel, ut sua bona recipient in hac uita, sicut de epulone diuite Christus docet, eternis uero careant: uel, ut finat Deus ipso quasi porcos, a Diabolo, cui seruiunt, sagittari, ut postea grauiores penas experiantur. Nam res secundae non prosunt pariter omnibus. Luxuriant enim animi rebus plerisque secundis, ut ille inquit. Ex luxuria autem, plura alia peccata enascuntur.

C tur,

tur, ut satius multò sit, interdum aduersis rebus, cù pietate & exercitio fidei conflictari, quām in securitate rebus mundanis abundare, ijsq; ex uoto frui, & deniq; ea occasiōe in peccata, iram Dei, potestatem Diaboli, & eternum exitium irruere, sicut Dauid inquit, Bonum mihi Domine, quod humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas.

Item discernit Deus etiam in hac uita tandem, inter Pharaonem & Mosen, inter Saulēm & Davidem.

Ad Minorem respondeo. Bonis male est plerunque in mundo, scilicet corporaliter, sed spiritualiter eis benè est, hoc est, habent D E V M propicium, sunt templa spiritus sancti, qui eis consolationem firmissimam, aduersus omnis generis mala præbet, inuocant Deum, eiq; se subiiciunt, & hostias ei rationales, ut uocat Paulus, offerunt, deniq; retinent indubitatam spem, de mitigatione calamitatum in hac uita, & de beatitudine æterna uitæ, ad quam aspirant. Stephano etiā uincto, & cum iam lapidibus obruitur, benè est illo ipso modo, id est, spiritualiter. Est enim organo spiritus sancti, certò nouit se habere Deum placatum, conscientiam gerit illæsam, cælum ei patet, Christus oculis corporalibus ab ipso conspicitur, ac statuit, nullas diuitias in hoc mundo, isti gloriae anteferendas esse, quod pro Christo iam sanguinem fundit, cù ius

## Quod sit Deus.

19

ius quidem facti decus ac præmium, in æterna uita magis conspicietur & prædicabitur.

At malis bene est, scilicet corporaliter tantum, Sed spiritualiter ipsis male est. Sunt enim mancipia diaboli, filij iræ, & nullam habent spem æterne beatitudinis. Cum igitur absq; fauore Dei rebus mundana affluant impij, isthæc beatitudo mundana ac momentanea, uera ac salutaris estimanda non est. Verum enim est quod inquit David. Psalm. 37. Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum plurimas. Item impijs tantum in hac uita bene est corporaliter, si tamen tam diuturna est ipsorum felicitas. At post hanc uitam, sequitur æterna ipsorum infelicitas & pena grauiſſimæ.

## SECVNDO.

### DE APPELLATIONIBVS DEI.

**A**ppellationes Dei, præsertim quæ in Sacris literis, non tantum ei ab hominibus tribuntur, sed quibus ipse met Deus se se describit, reuelans se Ecclesiæ suæ, consideratione dignissimæ sunt. Nā uel de natura Dei, uel de eius uoluntate & operibus, unde etiā istæ appellationes de sumptuæ sunt, pios cōmonefaciunt. Etsi aut nullū nomine quod Deo tribuitur ipsam Dei Maiestatē, uti ea

C 2 est,

est, satis potest exprimere, tamen in hac imbecillitate nostra amplectamur ea, quæ sunt in sacris literis patefacta, donec aliquando in Academia cœlesti, aliora liceat nobis indagare & cognoscere. Non autem appellatioes Dei omnes huc adscribemus, quærum aliqui 72. numerant, alijs plures, sed præcipuas tantum, quas prodest studiosis pietatis esse notas.

Sunt autem appellationes Dei duplices. Aliæ sunt generales, quæ nimirum essentiae diuinæ, seu omnibus tribus personis coniunctim conueniunt: aliæ uero speciales seu personales, quæ cuilibet personæ propriæ sunt. Porro hoc loco tantum de generalibus agendum est, speciales infra, ubi seorsim de qualibet persona Trinitatis agendum erit, recensebuntur.

Celeberrima autem Dei appellatio est Iehoua, quod quidem nomen ipse Deus sibi uendicat. Ut Exodi 6. Nomen meum Iehoua. Et Esa. 42. Ego Iehoua, hoc est nomen meum. Ierc. 32. Iehoua exercituum, hoc est nomen eius. Amos 9. Iehoua est nomen eius. Est autem hoc nomen ab יְהוָה factum, quod significat existere, esse. Itaq; Iehoua Ens seu existēs significat, quia Deus solus per se existit, & omnium creaturarum autor & conseruator est, omniaque per ipsum consistunt. Tribuitur autem hæc appellatio, tum in genere toti diuinitati, tum etiam in specie filio Dei, qui futurus erat uictima, assumpta carne

carne humana, ut Ieremiae 23. Hoc est nomen eius,  
quo uocabunt eum, Ichoua iusticia nostra. Prius autem  
indicarat, hunc Messiam fore germen David.

Neque uero tribuitur haec appellatio Dei, ulli crea-  
turae, quemadmodum aliæ quædam eius appella-  
tiones, sed tantum illi Deo, qui se Israëlitico popu-  
lo manifestauit uerbo, testimonij & miraculis am-  
plissimis, ac discernitur hac uoce ab alijs falsis nu-  
minibus. Ut 1. Regum 18. Elias inquit, Quousq[ue] clau-  
dicatis in utrung[ue] latus, si Ichoua est Deus, sequi-  
mini eum, si Baal Deus est, hunc sequimini. Inter-  
dum etiam quædam ad hanc uocem adiiciuntur, ut  
Ichoua Elohim, Dominus Deus edificauit costam,  
quam acceperat de homine in mulierem, Genes. 2.  
Ita etiā in Nouo Testamento Zacharias inquit, Be-  
neditus Dominus Deus Israel. Item Ichoua Zeba-  
oth seu exercituum, Iere. 44. ubi generaliter acci-  
pitur pro Deo, qui est conditor hominum, Item cu-  
ius sunt omnes creaturae, qui stipatur innumeris an-  
gelis, item qui bella regit, tum ut puniat, tum ut  
præmijs afficiat. Porro superstitiosi Iudæi à prola-  
tione huius nominis, quasi nefas esset patefactum à  
Deo nomen efferre, abstinent. Sed ea ipsa re testan-  
tur, se ueri Dei noticiam amisisse, ut qui ab ipsa no-  
minis diuini prolatione, quod Deus ipse uoluit esse  
publicè notum, semetipso arcent & excludunt. Le-  
gunt autem cuius loco Adonai, &c.

22 Appellationes Dei.

Porrò interpres Græci, pro Ichoua utūtur uoce νῦν Θεός, id est, Dominus, non ut ipsam significacionem exprimant, sed ut qualemque magnificencie nomen substituant, ita etiam nos Germani græcos sequimur, uoce H E R R. Aliud enim commodius non habemus, licet Hebraicum uocabulum non exprimat.

**אֵלֹהִים אֱלֹהָה אֶלְהָיָה** Sustētator Deus, ab opere conseruatis & defensionis tum reliquarum creaturarum, tum uero præcipue generis humani. Gen. 18. Abram tres uiros ad se uenientes sic compellat. Obsecro, inquit, Adonai (Domine) si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas à seruo tuo. Hic tota Trinitas appellatur uoce Adonai. Aliás uero præcipue tribuitur filio Dei, qui est suæ Ecclesiae perpetuus sustentator Deus, ut Psalmo 110.

**אֵלֹהִים אֱלֹהָה אֶלְהָיָה** Deus, à potētia robore et Maiestate. Gen. 1. In principio creauit (Elohim) Deus cœlum & terram, quibus uerbis omnium piorum iudicio, mysterium Trinitatis & unitatis cōprehenditur. Tribuitur tamen hæc uox etiam aliquando creaturis, ut Magistratibus, Psalm. 82. Ego dixi Dī estis; hoc est, diuinum officium gerētes. Item Angelis, ut Psal. 138. In conspectu Deorum psallam tibi.

Addūtur etiam interdum quædā, ut **אֵלֹהִים** Genesis decimo septimo. Ego sum sum Deus sufficiens, seu omnipotens.

## Appellationes Dei.

23

S V M, יְהוָה Exodi 3. Sum misit me ad uos. Vocat autem seipsum Deus S V M, quia est eterna essentia carens fine & principio, & relia quæ Creaturæ omnes habent suum esse ab hoc, Vero rūm creature sunt obnoxiae mutationibus: Deus autem semper idem est & permanet. Aptissimè tamē hæc appellatio conuenit secundæ diuinitatis personæ, ut suo loco dicendum erit.

I A H יְהוָה Dominus Psal. 118. Castigās castigauit me Iah, sed morti non tradidit me. Ab יְהוָה, hoc est, ab essentia, estq; syncopatum seu decurta-  
sum nomen ex Iehoua.

Deus Patrum. Item Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Exodi 3. Sic dices ad filios Israël, Dominus Deus Patrum uestrorū, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad uos, hoc est nomē meum in perpetuum. Ideo autem Deus sese hisce appellationibus discernit ab omnibus alijs numinibus, quia promissionem de uenturo semine, ad istorum Patriarcharum familiam alligauit, & quia sese eis, apparitionibus & illustribus miraculis patefecit.

Interdum coniunguntur Iehoua Zebaoth (seu exercituum) Deus Israel, Ieremie 44. quibus quidem uerbis Verus Deus Emphaticè exprimitur. Interdum uero tantum ponitur Deus Israel, Ut Psal. sexagesimo octavo, Deus Israel, ipse dabit uirtutem & fortitudinem plebi.

C 4 Br̄os

24      Appellationes Dei.

Gr̄os Gr̄eci appellārunt Creatorem & conser-  
vatorem rerum omnium, à θεῖψ, id est, currendo,  
uel quia Solem & astra perpetuum cursum obser-  
vantia, temporaq; anni discernentia, pro numini-  
bus Ethnici ignari Veri Dei coluerūt, siue quia sta-  
tuerunt numen illud, semper adesse atq; succurrere  
eunctis creaturis. Vel à θεός οὐαὶ, id est, inspicio,  
cerno, quia Deus omnia cernit. Aliqui etiam à ti-  
more deriuant.

Latini suam uocem DEVS, à Gr̄eco mutuati ui-  
dentur, licet alij à dando, quia sit largitor omnis bo-  
ni: uel etiam à deesse conentur deriuare per Anti-  
phrasim, quia ipsi nihil desit.

GOTT germanicum est GVTH, quia Deus est  
fons omnis boni. Quidam ab Aegyptiaca uoce deri-  
uant, qui Deum nominant θωυβ uel θωθ mutato  
θ in y.

Trinitatis appellatio, à tribus in diuinitate per-  
sonis, in Ecclesia Christi usitata est, ac plerunque  
uocabulum Sancta praeponitur. Sumitur autem  
haec appellatio ex rebus ipsis.

Hactenus de generalibus Dei nominibus, pauca  
quædam annotauimus. Specialia uero suū paulò in-  
ferius habebunt locum: Plures autem appellatio-  
nes in corpore doctrine Veteris & Novi Testa-  
menti collectæ & annotatæ sunt, quas pius Lector  
inspicere poterit. Nobis uero in præsentia satis est,  
aliquot

aliquot saltē, ueluti extenso digito ostendisse. Non enim instituimus prolixam istius amplissimi loci explicationem. Debent enim repetitiones esse breves, cui nos Deo iuuante studebimus.

Observanda præterea phrasis scripturæ Sacrae est, quid ea uocet Nomen Dei. Aliás enim nomen Dei significat appellationem, qua uerus Deus ex= primitur, ac discernitur à commenticijs numinibus, sicuti hac in p̄ parte accipimus. Et Exodi 6. dicitur: Nomen meum Iehoua, non manifestaui eis. Aliás si= gnificat noticiam, item doctrinam ueri Dei, ut in oratione Dominica, Sanctificetur nomen tuum, id est, uera tui noticia accendatur in omnī cordibus. Aliás significat laudem & gloriam, ut Psal. 76. In Israël magnum nomen tuum, hoc est, recte te agno scunt, inuocant, colunt, & magna te gloria affi- ciunt.

Aliás mandatum, autoritatem, potentiam, gu= bernationem, successum significat, ut, Prædicare p̄nitentiam in nomine meo, hoc est, meo instituto, mea autoritate, me benedicente, & successum lar= giente. Ita etiam Baptismus, in nomine Trinitatis administratur.

Aliás mentionem & fiduciam in alicuius meri- tum seu gratiam significat, ut Quidquid petieritis Patrē in nomine meo, dabit uobis, Iohan. 16. id est, me nominato, fiduciam in meum meritum & graziam

tiam collocātes. Ita credere in nomen Christi, Iohā.  
1. & passionē alibi, significat fiduciam ponere in me-  
ritum & gratiam Christi, quam suo sanguine & to-  
ta obediētia nobis apud Patrem cœlestem peperit.

## TERTIO.

## QVID SIT DEVS.

**D**rum nemo uidit unquam, unigenitus filius,  
qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis Io-  
hannis. 1. scriptum est. Etsi igitur oculi hu-  
mani in hac uita, ut suprà etiam commonefeci, Ma-  
iestatem diuinam coram, uti ea est, contēplari non  
possunt, tamen revelatio quædam de Deo, per fili-  
um Dei, hominibus facta est certo uerbo, & accesser-  
eunt luculenter apparitiones in Veteri & Nouo  
Testamento. Tantum itaq; de Deo cognoscere &  
scire debemus, quantum nobis traditum manifesta-  
tumq; est. Et sicut curiosa & perniciosa temeritas  
est, ultra eas metas ascendere, ita uicissim graue  
peccatum est, ea quæ Deus patefecit ut nota essent,  
nolle cognoscere, aut sponte occultare atq; inuolu-  
re. Constituto igitur fundamento ex firmissimis pro-  
batiōibus sacrosanctæ scripturæ, q; Deus sit, nūc qd  
sit Deus, ex eodē illustri uerbo Dei, iuuante nos illo  
ipso de quo disserimus aut potius balbutimus, expli-  
candū uenit, hoc fine, ut in inuocatiōe, luceat in mē  
te nostra uera Dei noticia, & sciungamus hunc ue-

rum Deum à conflictis numinibus omnibus, atque in omni tentatione, in hunc Deum omnem nostram fiduciā & spem reponamus. Completemur igitur summam descriptionis Dei, quam Sacrae literae tradunt, quantum quidem in hac nostra imbecillitate Dominus Deus nobis dederit.

DEVS est essentia spiritualis, aeterna, immensa sapientiae & potentiae, bona, iustissima, liberissima, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, unus Deus essentia & trinus personis, conditor & conservator rerum omnium, colligens atque sanctificans Ecclesiam omnibus seculis in genere humano, ut ab ea in hac uita inuocetur & colatur, et in aeterna uita coram conspiciantur & celebretur, sicut uerba Baptismi de hoc Deo sonant: Baptisate eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, qui crediderit & baptisatus fuerit saluus erit, qui uero non credidit condemnabitur:

Hæc descriptio collecta est ex testimonij & pactionibus, in uerbo Dei comprehensis, & ex symbolis Ecclesie Christi approbatis, ut sunt Apostolicum, Nicenum, Athanasianum. Iam quædam uocabula in descriptione posita, paucis sunt euolenda.

### ESSENTIA.

Deum essentiam certam esse, & non tantum uim quandam, in creaturis omnibus efficacem, aut ficticiam quiddam

quiddam, sicut Ethnici de Natura disputatione, probant testimonia & patefactiones, ut quod in Genesi existentia quædam Dei describitur, quæ dicendo, ex Nihilo producit cælum & terram, ac deliberatione quadam hominem format. Et in Nouo Testamento dicitur, Verbum erat apud Deum, immo Filius Dei, secunda persona diuinitatis fit homo. Hæc igitur opera omnia, conueniunt certæ existentiae, estq; hoc genus siue proprietas Dei, opposita rebus imaginarijs & cogitationibus Epicureis, hoc est, Deus non est inane tantum nomen, non est solummodo fallax imaginatio febricitantium aut fanaticorum hominum, sed est res existens, res uiua. 1. Timoth. 4. Speramus in Deum uiuum. Hebr. 10. Horrendum est incidere in manus Dei uiuentis. Esa. 37. Blasphemauit nomen Dei uiuetis Rex Assyriorum, hoc est, Dei, qui reuera existit. Nam uita tribuitur rei subsistenti. Fortuna, Gratiae, non sunt res subsistentes, sed imaginariae Deæ, suntq; accidentia quædam, non substantiae. Venus non est dea subsistens, sed quædam in creaturis inclinatio, seu uis procreationis & multiplicationis.

## SPIRITALIS.

Opponitur rebus corporeis, Iohæ. 4. Deus spiritus est, hoc est, nō est truncus, sicut idola gentium, ut Martis, Mercurij & similiū Numinum statuē truncis solis existunt. Item non est creatura uel uis.

*uid uel mortua, carne & ossibus, aut simili materia ex elementis conflata, constans, sicut Apis, Ibis, aut Crocodylus apud Aegyptios. Spiritus autem carnem & ossa non babet. Lucæ 24.*

## AETERNA.

Hac proprietate ab omnibus creaturis discernuntur, etiam ab Angelis, qui & ipsi habent spiritualem substantiam, sed non æternam, uerum creatam. Aeternitas autem ante mundi formationem, est proprietas soli Deo competens.

## IMMENSÆ SAPIENTIAE.

Omnis proprietates quæ sequuntur, opponuntur creaturis, quibus eæ attribui non possunt, Psal. 104. Omnia in sapientia fecisti, 1. Corinth. 1. Quod stultius est Dei (hoc est quod sic apparet hominibus) sapientius est hominibus. Opera igitur Dei, ut fabricatio, dispositio, conseruatio, ornatus totius mundi, & alia eiusmodi, egregium testimonium dicunt, in Deo esse immensam sapientiam. Angeli & homines, radios aliquos sapientiae, quantum quidē ipsis satis esse debebat, acceperunt: utinam uero pateriter omnes retinuissent illam præstantem Dei imaginem finita est igitur creaturarum sapientia, quæ ipsis ab eo, qui in immensum sapiens est, indita est.

## IMMENSÆ POTENTIAE:

Omnipotentem esse Deum, probat luculenter ipsum opus mundi. Nam ex nihilo creauit omnia, sustentat

sustentat omnia, & facit ea quæ non sunt, ut sint.  
 Solo Verbo & Sacramentis, per & propter meritum filij Dei Iesu Christi, regeneramur ad uitam æternam. Resuscitabimur etiam omnipotencia Dei ex pulueribus terræ: & qui crediderunt, delecto ueneno peccatorum, quod Diabolus in humanam naturam penitus infudit, in æternum apud Deum uiuent. Qui uero non crediderunt, æternæ damnationi subiicientur. Gene. decimo septimo. Ego Dominus Schaddai, hoc est, sufficiens seu omnipotens. Exod. decimo quinto: Omnipotens nomen eius.

## B O N A.

Math. decimonono. Nullus est bonus nisi Deus, hoc est, Deus est fons & origo omnis boni in toto mundo, sicut Gene. i. dicitur, Videlicet Deus omnia quæ fecerat, & erant ualde bona, hoc est, congruebant ipsius uoluntati, erat ad bonos usus destinata. Hæc etiam probant, Deum, quod ad substantiam suam attinet, tantum esse bonum. Nam horribilis furor est Manicheorum, qui finixerunt duos Deos, alterum bonum, alterum malum: Quod autem scriptum est, Non est malum in ciuitate, quod non fecit Dominus, de malo pœnæ intelligendum est, quam pœnam ordo iusticie diuinæ, pro delictis exigit, eaq; ipsa res argumento est, Deum esse bonum, ut quis

qui est osor peccati, & uindex iusticie.

Porrò ad bonitatem pertinent & ceterae Virtutes seu proprietates, quae Deo attribuuntur, ex quibus istae sunt præcipuae, Misericordia, qua non tantum res omnes à se conditas paternè complectitur, sustentat, regit, gratuita bonitate, sicut Solem finit oriri super bonos & malos, idolatras & ueram Ecclesiam, Serpentes uenenatos & ouiculas, terram sterilem & fructiferam, Sed etiam omnium maxime, quod homines lapsos in peccatum & mortem, immensa misericordia, proprio Filio pro ipsis in peccatum & mortem tradito, recipit in gratiam, uiuificat & saluat. Item iusticia in politicis & Ecclesiasticis, uti appellantur, actionibus. Item castitas siue puritas. Nam in Deo nihil est, nisi æterna & immensa castitas.

### LIBERRIMA.

Non enim causa est deterior suo effectu. Sed Angeli & homines ita sunt creati, ut habuerint libertatem pulcherrimam, quam tamen pars Angelorum, & homines abusivæ sunt. Ergo creator ipse sine ullo dubio, longè excellentiori libertate prædictus est, quam quidem in suis creaturis paululum adumbrare uoluit. Psalm. 115. dicitur, Omnia que cunque uoluit, fecit. Et exempla libertatis diuinæ

diuinæ extant plurima, ut quod Solem in celo res traxit, & ad certum tempus cursum inhibuit, ac quasi fixum esse iussit, undas maris tanquam muros adamantinos stare uoluit, usq; dum Israeliticus populus siccis pedibus permearet, mortuos exuscitauit &c. Non est igitur Deus ullis creaturis alligatus. In ardente fornace Nebucadnezer, ignis natu ram coheret Deus, suosq; confessores, illos seruat. Sic Eliam igneus currus, quo subleuatur in altū, nō adurit. Aqua in Cana trāsmutatur Christo uolente, in uinum, effætæ & steriles mulieres parviunt &c. Hæc omnia sunt luculentissima testimonia, Deum esse agens liberrimum, neq; constringi causis secundis, quin si uelit, non possit contra facere. Hæc nobis fidem & invocationem erigat & confirmat, ne despondeamus animos, quando uiderimus omnibus secundis causis destitui. Deus enim quem colimus & adoramus, & omnipotens est, & liberinus Dominus in omnibus suis creaturis.

PATER, FILIVS, SPIRITVS SANCTVS.

Hæc est præcipua pars in definitione de essentia diuina, quā tātum Sacrae literæ docent, eāq; ob causam, uel hæc una pars discernit uerū Deum ab alijs conflictis numinibus, doctrinā ecclesie de Deo, ab omnī Ethnicorū, quantacūq; sapientia præstantiū, doctrina & cōmentarijs. Esse autem Deum tales probant expressissima testimonia uerbi Dei, & illi lustrissimis

lustrissime patefactiones, uerbo Dei summa fide inseritæ, & consensus Ecclesiæ Dei omnibus seculis. Eloquent autem in Nouo Testamento præcipue uerba Baptismi, quæ & personas diuinitatis distincte & ordine enumerant, & simul parem ipsis essentiam, æternitatem, potentiam attribuunt. Nam ipsa regeneratio, amplissimum Dei opus est, soli uero Deo conueniens.

CONDITOR RERVM, ET  
colligens Ecclesiam:

Actiones seu opera Dei præcipua, hisce uerbis adiiciuntur. Nam ideo hanc mundi machinam condidit Deus, ut se reuelaret, ideo homines creauit, eosq; per proprium filium redemit, & miranda beatitate omnibus temporibus doctrinam suam in mundo sonat, ut à genere humano cognoscatur & collatur, iuxta uerbum diuinitus traditum, sicut testimonia suo loco colligenda erunt.

Deniq; autem hic Deus, quasi colophonem addet, resuscitatis omnibus hominibus, & traductis credētibus in Christum, in æternam beatitudinem, impius uero præcipitatis in æternum ignem Matth. uigesimo quinto.

COLLATIO DEFINITIONVM

Dei, ex quibusdam Patribus:

Videntur antiqui scriptores Ecclesiastici, ipsæ symbola, puta Apostolorum, uel Nicænum, pro ple-

D niori

niori descriptione Dei usurpare. Etsi enim à plerisque Patribus, articulus de Sacrosancta Trinitate, sincerè & præclare traditus, & ad posteritatem propagatus est, tamen generalem Dei definitionem, paulò solertius & accuratius non colligerunt, id quod tamen ualde mirum est. Fortè autem in suis Catechismis id fecerunt, quibus in institutione rudiorū usi sunt, qui si extarent integri, de plerisque articulis fidei rectius ex ipsis iudicium fieri posset, quam ex Epistolis aut alijs ipsorum tractatibus, in quibus non semper hoc propositi habuerunt, ut unum articulum integrè & ordine explicarent. Multa præterea ex optimis, præsertim dogmaticis ipsorum scriptis interciderunt, posteaquam studia Theologiæ, nimis operosa ac superstiosa in templis ceremoniarum obseruatione & temporis assumptione, cum doctrina obtenebrata, immoferè penitus extincta sunt.

Recitatibus tamen, unam aut alteram ex Patribus descriptionem Dei.

Tertull.lib.primo, contra Martionem: Deus est summum magnum, in æternitate constitutum, innatum, infectum, sine initio, sine fine.

Idem libro de Trinitate;

Deus est mens quædā gignens & complens omnia, quæ sine ullo aut initio aut termino temporis, causas rerum naturaliter nexus, ad utilitatem omnium

unit

um, summa & perfecta ratione moderetur.

Hæ definitiones, mirè generales sunt, et philosophicis planè pares. Nihil enim de uera essentia Dei aut uolūtate eius Euangelica, ut sic dicam, habent, nempè de hominum redēptione & restitutio[n]e. Similes descriptiones in alijs quoq[ue] uetustis autoribus extant.

August. de cognitione ueræ uitæ T. 9. ca. 7.

Deus sp̄s est essentia inuisibilis, omni creaturæ incomprehensibilis, totam uitam, totam sapientiam, totam eternitatem simul essentialiter possidens, idem ipsa uita, ipsa sapientia, ipsa ueritas, ipsa iustitia, ipsa eternitas existēs, omnem creaturā instar puncti in se continens. Hanc definitionem ipse met Augustinus uocat enigmaticam.

Idem in libro quæstionum Veteris & Noui Testamenti.

Deus est spiritus, natura simplex, lux inaccessibilis, inuisibilis, inestimabilis, infinitus, perfectus, nullius egēs, eternus, immortalis omnimodò, à quo omnia initium consecuta sunt, uenerandus, diligendus, metuendus, extra quem nihil est, imò in quo sunt, quæcunq[ue] sunt sursum & deorsum, summa & imma, omnipotēs, oītenens, uerè in oībus diues, quia nihil est, quod eius non sit, bonus, iustus, misericors.

Autor symboli apud Cyprianum. Deum cùm auidis, substantiam intellige, sine initio, sine fine, sim-

plicem, sine ulla admixtione, inuisibilem, incorpo-  
ream, ineffabilem, inestimabilem, in qua nihil ad-  
iunctum, nihil creatum sit.

Hec etsi recte dicuntur, tamen nimis sunt gene-  
ralia, quæ etiam sapientes Ethnici, ut dictum est, ex  
ratiocatione possunt indagare & statuere. Non  
enim perspicue Trinitatem monstrant, quam ta-  
men, quoties eum articulum Patres explicandum  
suscipiunt, perspicue & optimis rationibus tradūt  
& illustrant.

### COLLATI O ETHNICARVM definitionum.

Deus est mens æterna, causa boni in natura. Ro-  
tunda & elegans definitio. Testatur enim Deum  
esse mentem, hoc est, spiritualem & intelligentem  
substantiam, non corpoream, non brutam, & crea-  
torem rerum ac sustentatorem, autorem bonarum  
tantum actionum, & nō malarum seu peccati. Hæc  
Plato non hausit omnia, tantum ex lumine ratio-  
nis, & contemplationibus creaturarum, sed procul  
dubio, ex Hebreorum literis & doctrina, in Aegy-  
ptum profectus, aliquid percepit. Est tamen hæc de-  
scriptio māca & mutila, duabus in rebus, Primum,  
quia de uera Dei essentia seu Trinitate : deinde,  
quia etiam de uoluntate benigna Dei, in redimen-  
do ac recipiendo genus humanum, lapsum in pec-  
atum & mortem, nihil prorsus dicit.

PLINIUS lib. 2. cap. 7.

Deus totus est sensus, totus uisus, totus auditus,  
 totus animæ, totus animi, totus sui. Quid perplexius  
 & obscurius dici potest? Nihil uero aliud pro-  
 fert, quam Deum sapientia præditum, & ipso homi-  
 ne præstantiorem esse. Intuetur enim Plinius in pul-  
 cherrimam Dei creaturam sub Sole, atq; in ea res  
 præstantissimas considerat, quales sunt, sensus &  
 anima in corpore humano. Ea uero omnia statuit  
 esse diuina, hoc est, à præstantissima mente archi-  
 tectatrice cōdita. Ideo sentit, Deum ista omnia mul-  
 tò perfectius & absolutius habere, esse eum totum  
 talem, quales particulæ quædam in homine con-  
 spiciuntur.

Hæc profunt, ut consideremus, quantæ tenebrae  
 de Deo, in mente humana, & in Ethnicorum scri-  
 ptis existant.

Illustre porrò humanae imbecillitatis exemplū,  
 hac quidem in parte, & quasi speculum recitat Ci-  
 cero lib. 1. de natura deorum de Simonide, sapien-  
 tiæ & doctrinæ nomine ualde celebri: Nam is, cum  
 Hiero tyrannus Siculus quæsiuisset, quidnam esset  
 Deus, deliberandi causa sibi unum diem postulauit  
 concedi. Postridie iterum interrogatus, biduum pe-  
 tituit, & cum subinde longius tempus sibi proroga-  
 ri oraret, tandem Hiero, dic inquit, cur moram ne-  
 sis? Hic coactus Simonides responsum dat: quò diu-

tius cogito, eò minus inuenio. Manifestè igitur ostendit, sibi hanc quæstionem inexplicabilem esse. Hoc pacto tandem Rex & sapiens consiliarius, in prioribus tenebris permanerunt. Nam ratio humana, essentiā Dei non potest uel ex sua propria luce, uel ex ratiocinationibus rectè cognoscere.

Hæc collatio definitionum istum habet finem, ut lucem quam Deus nobis ex uerbo suo commōstrat, maximi faciamus, eiq; gratias agamus, & oremus, ne patiatur eum Deus iterum propter ingratitudinem huius mundi extingui.

## CONTRARIA:

Assuerare, omnino non posse definiri, quid sit Deus. Nam Deus certè uerbo & patefactionibus se se reuelauit generi humano, ut de sua essentia & uoluntate aliquid cogniti haberent, quantum nimirum ipsis in hac mortali uita satis esset, donec aliquando ipsam Maiestatem Dei corā plenius intueri possent. Necesse n. pios est in iuocatione statuere, qualem essentiam uelint compellare. Et cur quæso symbola condita sunt, nisi ut Ecclesia Dei rectè de essentia ueri Dei sentiret? Non igitur ex luce in tenebras, quibus quidem aliâs satis superq; abundant, homines demergendi, sed potius ex tenebris tantarum rerum, in ipsam lucem, quantum scilicet eam Deus ipse reuelauit, deducendi sunt.

Ethnicus

Ethnicæ definitiones mutilæ & obscuræ, tātum quædam de proprietatibus generalibus, quas mens humana ex creaturis ratiocinando potest elicere, cōplectentes, cum doctrina Ecclesiæ Dei pugnant.

Item asseuerare, eas definitiones esse sufficiētes, & ad pietatis profectum conducere.

Anthropomorphitarū error, qui dixerunt, Deū habere mēbra, perinde ut homo, nempe caput, oculos, os, manus, cor, pedes, quia sacra scriptura actiōnes Dei eiusmodi uocibus exprimit. Item, quia homo dicitur ad imaginem Dei formatus. Sed Christus disertè inquit Iohā. 4. Deus est sp̄ritus, & Lu. 24. Sp̄ritus carnem & ossa non habet. Imago aut̄ Dei nō consistit in illa corpore a mole potissimū, sed in sapiētia, iusticia, uita æterna. Accommodat autem Deus & scriptura, sese nostro captui. Nam actiones sp̄ritus, alioqui capere non possumus. Vetus aut̄em isthac opinio, etiam inter gentes est. Nam & Cicero inquit, à natura habemus omnes omnium gentium, speciem aliam nullam nisi humanam Deorum. Causa eius opinionis fuit, quia uiderunt hominem inter creaturas omnes, quas quidem oculis uidere possumus, esse pulcherrimam, & planè diuinis donis admirabilem. Elegantem autem regulam Tertullianus libro de Trinitate constituit. Efficacie, inquit, diuinæ per membra monstrantur, non habitus DEI, nec corporalia

lineamenta ponuntur. Nam cū oculi describuntur, quōd omnia uideat exprimitur. Et quando auis, quōd omnes audiat proponitur, &c. Idem tamē in libro aduersus Praxeam ait, Quis negārit Deum corpus esse, et si Deus spiritus est. Sed nihil aliud uoluit dicere, sicuti etiam ab Augustino excusat, quām Deum esse rem subsistentem, non esse tantum inane nomen.

Ethnicismus totus ac prodigiosa licentia fingens deos ex creaturis.

## QVARTO.

### QVOD DEVS SIT VNUS ESSENTIA.

**V**ERA, certa, & immota doctrina est, in Ecclesia Dei, expresso uerbo tradita & confirmata, Vnum tantum esse Deum, seu unicam tantum essentiam diuinam, que cōdidit & conseruat omnia, quæq; agnoscenda, inuocanda & celebranda est. Testimonia ex ueteri Testamento sunt: Exodi 20. Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex Aegypto. Non habebis Deos alienos coram me.

Deutero. 4. Dominus ipse est Deus, & non est aliis præter eum.

Deut. 6. Audi Israël, Dominus Deus noster, Deus unus est.

Deut.

*Deut. 32. Videte quod ego sum solus, non est alius praeter me.*

*Esaie 44. Ego sum primus & nouissimus, & praeter me non est Deus.*

*Esa. 45. Ego sum Deus, & non est ullus praeterea. Praeter me non est Deus. Ego Deus & non aliis, formans lucē & creans tenebras, Non est aliis Deus praeter me, iustus & saluās nō est praeter me.*

*Malach. 2. Nunquid non unus Deus creauit nos?*

#### EX NOVO TESTAMENTO.

*Matt. 19. Nullus est bonus, nisi unus, nēpē Deus.*

*Marci 12. Vnus est Deus, & non est aliis praeter eum.*

*1. Corinth. 8. Scimus quod nihil est idolum in mundo, & nullus est aliis Deus nisi unus.*

*Ephe. 4. Vnus Deus & Pater omnium, qui super omnia & per omnia.*

*1. Vimoth. 2. Vnus est Deus.*

*Galat. 3. Deus unus est.*

#### CONTRARIA.

*Etsi prudentes uiri inter Ethnicos, ingenio & doctrina excellentes, interdum iudicarunt, unum duntaxat esse Numen, in cuius potestate omnia, in hoc amplissimo mundo sunt constituta, & plura infinita non posse simul existere, tamen uarietas & multitudo rerum in mundo, semper turbauit ac turbat animos hominum, ut in ea sententia non con-*

stiterint, sed existimarent uni Numini uix esse pos-  
sibile, cunctas res procreare, eisq; semper adesse.  
Hasce ob causas Ethnici plura Numina commenti-  
sunt, & homines uiuos pariter & defunctos, bru-  
ta animalia, bestias, arbores, elementa, sydera co-  
luerunt. Sicut Paulus Roman. primo, Eusebius de  
præparatione Euangelica, Plinius & alij recitant.  
Tertullianus inquit, in Norico Dibilenum (hoc est  
Diabolum) esse cultum.

Exhibitio Christo, Caligula paßim imaginem su-  
am in templo collocauit, & pro Deo haberi uoluit.  
iußit & in templum Hierosolymitanum Idolum se  
representans inferri, inscripto titulo, Ioui illustri  
Caio. Apostoli paßim per orbem uagantes, &  
Euangelij iucundissimam ac saluificam gratiam  
spargentes, ubique terrarum tetram gentium ido-  
latriam reperiunt. Imò tantopere loca omnia Eth-  
nicismus confurcauit, tamq; diu durauit, ut gētes  
etia ausi sint in loca passionis et monumēti Christi,  
Idolorum quorundam, ut Veneris ac Louis, fana col-  
locare, quibus uidelicet in odium Christi & Chri-  
stianorum, loca ipsa polluerent, memoriamque  
Messiae penitus delerent. Etsi autem Constanti-  
nus ea loca repurgauit, tamen Julianus postea  
rursum Ethnicæ idolatriæ fenestras portasq; satis  
late aperuit.

Sæpe autem Scriptura sacra, Ethnicorum ficti-  
cios

tios Deos seu idola irridet, quòd nimirum os habeant & non loquantur, aures & non audiant, pedes & non ambulent, ac breuiter, quòd sint opera manuum hominum, &c. Paulus gentilismum hunc turpisimum talibus uerbis describit, Immutauerunt, inquit, gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & uolucrum & quadrupedum & serpentium. Item seruierunt creature potius, quam creatori.

In Ecclesia Christi quoque, subinde Hæretici Ethnicizarunt.

Anno Domini 143.

Valentinus cum suis aſſeclis, portenta Dcorum uaria commentus est, ut Irenæus commemorat. Clemens quarto Stromatum ait, Valentimum primum fuisse, qui Deum & conditorem distinxerit. Idem sub Valentino Messaliani afferuerunt: Item Priscilliani sub Gratiano.

Anno Domini 143. Man. 281.

Marcionistæ, Cerdō, Manichei, duo principia, seu duos Deos coæternos fixerunt, unum quidem autorem bonorum, alterū uero malorum. Fons aut istius erroris fuit, quia ueram originem rerum materialium ignorarunt: Deinde quia nō discreuerunt inter mala culpæ et pœnæ. Mala culpæ nō sunt à Deo, sed à diabolo et hominibus. Pœnæ uero sunt à Deo, quia

quia iusticiæ Dei conuenit, in inobedientes animaduertere.

Idololatria Papistica, hoc est, invocatio seu cultus Sanctorum mortuorum, seu ut ipsi appellant diuorum, ipsorum apotheoses planè Ethnicæ, statuarum & imaginum uenerationes, & uisitationes ex longinquis locis: Nam adscribere opera soli Deo conuenientia, alicui creature, nihil aliud est, quam pro Deo eam habere. Tribuere autē defunctis sanctis, siue uerè tales sint, siue falso sic nominentur, in uocationem, & quidem exauditionem omnium hominum, quocunq; terrarum loco existentium, & facultatem in spiritualibus & corporalibus rebus oportulandi, est ipsis adscribere uerè diuina opera, omnipotentiæ Dei competentia. Palam igitur fit, Papistas more Ethnico, innumeros deos fingere & colere, contra Dei uerbum, quod expreßè dicit, Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli seruies. Hunc insignem næuum, & neruum regni Antichristi, hoc est Papistici, operæ preciū est obseruare diligenter ac seriò detestari. Huc pertinet, quòd Simon ille Magus à Petro maledictus, primus in Ecclesia Christi, Sanctus ille fuit, qui uiuus Romæ meruit statuam publicam, cum inscriptione, Simoni Deo sancto, ut Iustinus antiquissimus Ecclesiæ Dei scriptor testatur. Eum uero tanquam ducem secuta Romana Ecclesia posterioribus temporibus, innuera

mera idola in templis collocauit cum inscriptionibus, Sanctus Sebastianus, sanctus Nicolaus, sanctus Ulricus, sanctus Franciscus, sancta Apollonia, sancta Barbara, &c. Eosq; Diuos & diuas cantionibus sonoris, preculisq; stridulis ad illa idola pronuntiatis, candelis ardentibus, alijsq; similibus ceremonijs, longè plus & ardenter quam ipsum Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum, coluit & celebrait. Ore itaq; tantum unum Deum profitentur pontificij, ut uulgò nominantur, re uero ipsa cum Ethnicis, innumeros Deos aut Indigetes docent ac uenerantur.

## QVINTO.

DE TRIBVS PERSONIS, VNICVS ET EIVSDEM ES-  
sentiæ diuinæ.

**P**RIMVM hac in parte quædam uocabula paucis explicanda sunt, ut res ipse intelligi melius possint.

Etsi Latini scriptores de Deo differentes, inter dum istis uocabulis, Essentia, Natura, eadem significatione utuntur, tamē qui accuratius loqui studuerunt, plerunq; essentiam de unitate Dei dixerunt, ac coniunctim omnibus tribus personis diuinitatis attribuerunt.

attribuerunt, ut unam esse diuinam atque aeternam essentiam. Substantiam uero singulis personis attribuerunt, ut quod tres sint substantiae diuinitatis seu essentiae diuinæ, perinde ut Græci, unam dixerunt esse ὀντιαν, et tres υπόστασις, hoc est, res uerè subsistentes. Proculdubio autem hæc diligentia, à peritis Ecclesiæ doctoribus adhibita est, ut amplissima doctrina de Deo, mentibus humanis aliás ignota, magis perspicue tradi et citra ambiguitatem à discentibus percipi, imò etiam heretici ualidius refutari possint.

Porro Latini, ut et ipsi distinctius loquerentur, quas Græci dixerunt υπόστασις, et ipsi alias substancialias, etiam personas appellarent, quos quidem et Græci posteriores emulati sunt. Est autem persona in hoc articulo, substantia individualis, intelligens, incommunicabilis, per se subsistens. Littera super Iohannem cap. primo inquit, Persona est intellectualis naturæ, incommunicabilis existentia vel potius subsistentia, quod prorsus idem est. Non igitur hic, ut aliás in usu Latinæ linguae, uocabulum personæ pro habitu, aut distinctione officijs accipitur, sed pro substantia uerè subsistente, distincta ab alijs. Dixerunt gentes fortunam esse deam, verum non est persona seu υπόστασις, sed est appellatio euentuum. Discernitur quoque hominis et Angelorum persona, à persona diuinitatis, quia istæ

iste creaturæ non existunt à semetipsis, & aliunde sustentantur.

Ceterum et si scriptura Sacra, uocabulo persona non appellat uel Patrem uel Filium uel Spiritum sanctum, res tamen ipsæ, in eadem clare & dilucidè proponuntur. Vnde reclè Augustinus libro se ptimo de Trinitate capite quarto inquit. Licuit loquendi ac disputandi necessitate, tres personas dicere, non quia Scriptura dicit, sed quia Scriptura non contradicit.

QVOD PLURES SINT  
personæ diuinitatis, quam  
una:

Plures esse personas diuinitatis quam unam, testimonia Scripturæ luculenta probant, ut Gene. 1. Creauit Elohim cælum & terram: Hic appellatio Dei in plurali ponitur, omnium doctorum Ecclesie Dei iudicio, ut personarum pluralitas in Deo rerum omnium conditore, statim in primis uerbis Scripturæ sanctæ indicetur. Deinde ipsius Dei uox de hominis formatione, hoc modo recensetur: Facias hominem ad imaginem & similitudinem nostrā. Id uero nō dixit Deus ad angelos, ut quidā hæretici maliciose interpretati sunt, et grauiter à Sanctis Ecclesiæ

Ecclesiæ scriptoribus sunt refutati, sed personarum in diuinitate pluralitas subindicatur.

Gene.19. scriptum est, Pluit Dominus ignem a Domino, quæ locutio similiter plures docet esse personas essentiaæ diuinæ, sicut et vox Psalmi 110. Dixit Dominus Domino meo. Itē Psal. 2: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu. Sed eiusmodi testimonia plura, paulò post recitabuntur.

In Nouo autem Testamento, expressiora ac plura testimonia, & patefactio[n]es personarum diuinarum admirandæ extant. Christus enim subinde inculcat, se habere Patrem, qui sit Deus, se missum esse spiritum Sanctum, ubi non de se solo, aut alijs motibus creatis loquitur, sed de personis ac substantijs diuinis.

QVOD TANTVM TRES SINT  
PERSONAE ESSENTIAE  
diuinæ.

Tantum autem tres existere personas diuinitatis, neq[ue] plures, neq[ue] pauciores, nempe Patrem, Filium & Spiritum sanctum, ex testimonijs evidenterissimis Ecclesia Christi credit, docet & confitetur.

In Veteri quidem Testamento, hæc sunt præcessanter illustria.

Genesis 1. fit mentio Dei, deinde etiam Verbis per quod omnia cōdita sunt, tertio Spiritus sancti, qui incubat aquis, uitamq[ue] rebus creatis impertito

Psal. 33<sup>1</sup>

## Tres personæ.

49

Psal 33. Verbo Dominicæ firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. In hac sententia mētio fit Domini, & Verbi, & Spiritus.

Psalmo 2. distinctè dicitur de Patre & Filio. Dominus dixit ad me, Ego hodie genui te. Et de spiritu sancto dicitur, Psal. 52. Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Ita sparsim in Prophetis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti mentio fit. Occurrent autem infra plura dicta.

Probant & scriptores Ecclesiastici trinitatem ex illa appellatione Dei, que extat Exodi 3. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob. Nam bic ter nomen Dei repetitur. Item ex uoce Seraphim Esa. 6. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, hic tripla repetitio, Sancti, mysterium Trinitatis adumbrat.

Apparitio Trinitatis Abrahæ contingit, ut Genesis 18. memoriae proditum est. Nam Deus specie trium uirorum Abrahæ se conspiciendum præbet. Verum eiusmodi testimonia, ab alijs luculentioribus suum accipiunt lumen & intellectum. Positis enim expressis, & perspicuis scripturæ dictis, postea etiam alia, quæ uidentur aliquid obscuritatis habere, citra periculum adhiberi possunt.

Non igitur dubium est, quin Ecclesia Veteris Testamenti eum ipsum Deum agnouerit & inuocauerit, quem nos hodie in Nono Testamento colimus.

B

mus

mus & adoramus, qui nimirum est unus essentia, trinus personis, etiamsi quedam fuerint obscuriora, quia illustriores patefactiones Deus, suo quodam consilio, usque ad exhibitionem Messie reseruare uolebat. Alij alias causas diuinant, quas prætereo. Mitto etiam illud Rabinicum, quod mysterium Trinitatis inde elucidere quidam existimant, quia tres tantum sunt literæ radicales Verborum in Hebreæ lingua. Idem in abbreviatione uocis Ichouæ significari putant, que tribus Iod, in formam trifoli scribi solet. Item, quod Genesis primo in uoce **אָדָם**, trinitas ipsis literis sit involuta, ita quidem, ut adiectione literarum **בָּן** Pater sit: **בָּן** **רוּחַ** Filius, **רוּחַ** Spiritus sanctus. Verum ista non præbent firma fundamenta, qualia in articulis fidei requiruntur, ideo potiorem habeant locum perspicua dicta scripturæ sanctæ.

In Nouo autem Testamento, clarius hæc doctrina tradita, & illustrioribus patefactionibus ornata est, qua quidem re, ut diximus, ipsam exhibitionem Messiae Deus ornare uoluit. Matthæi uigesimo octavo: Euntes docete omnes Gentes, & baptisate eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Iubet hic CHRISTVS in nomine uetri Dei baptisari. Est enim regeneratio, que fit ministerio Baptismi, singulare & ingens Dei opus,

opus. Ergo non est alius Deus , quam in hisce  
tribus personis proponitur.

Iohannis decimoquinto. Cum uenerit Paracle-  
tus, quem ego mittam à Patre, Spiritum uerita-  
tis, qui à Patre procedit, is testimonium perhibe-  
bit de me. Distinctè hic trium personarum mentio-  
fit. Pater est persona , à qua ait procedere Spir-  
itum sanctum. Procedit autem à Filio quoque, ut  
suo loco dicendum erit. Filius hic est persona mit-  
tens Spiritum sanctum à Patre. Spiritus sanctus est  
persona procedens à Patre, & missa à CHRI-  
STO.

Galat. quarto : Quoniam estis filij Dei, misit  
Deus spiritum filij sui in corda nostra, clamantena  
Abba Pater.

Secundæ, Corinth. decimotertio. Gratia Do-  
mini nostri Iesu Christi, & dilectio Dei, & commu-  
nio spiritus sancti, sit cum omnibus uobis.

Primæ Iohannis quinto, TRES sunt qui  
testimonium perhibent, Pater, Logos, & Spir-  
itus sanctus, & hi tres unum sunt.

Denique innumera testimonia , paßim in No-  
uo Testamento extant , quæ sparsim de personis  
loquuntur.

Cæterum patefactio Trinitatis omnium illu-  
striſſima, ad Iordanem accidit , cùm Iesus CHRI-  
STVS anno trigesimo ſuæ etatis, ad ſuim mini-

sterium publicè suscipiendum quasi initiaretur, aut, ut iam quidem loqui solemus, ordinaretur. Nā ibi Pater ē sublimi cælo clara uoce sonat: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est. Secunda uero diuinitatis persona, baptismo à Ioanne accepto, ex Iordanis alueo ascendit, et tendit ad eum uox Patris cælestis. Tertia persona diuinitatis, mox ē cælo erumpens, uisibiliq; specie columba aduolans, se in Christum demittit, in eoq; confidet ac manet. Hæc reuelatio toti Ecclesiæ Christi honorifica, summæq; consolationi est.

Postremò huc referantur symbola, doctrinam de Deo p̄eclarè explicantia, ut sunt p̄æ ceteris māxime insignia, autentica, & cum illustribus dictis scripturæ sanctæ congruentia, Apostolicum, Nicænum et Athanasianum. Item consensus Ecclesiæ Dei perpetuus, estq; singulare Dei beneficium, quod tam innumeris hæresibus, omnibus seculis aduersus hunc articulum exurgentibus & furentibus, tamen eum conseruauit integrum & purum Deus, usq; ad hanc mundi senectam, in qua nos modò degimus, pro quo quidem beneficio etiam tibi, mi Pater, Fili & Spiritus sancte æternas gratias debemus. Et persoluemus.

QVOD HAE TRES PERSONÆ  
sint tamen unus Deus.

Etsi

**E**T SI autem tres sunt personæ, relatæ ad se inuicē ac distinctæ, iuxta testimonia expressa in scriptura sancta, & patefactiones diuinæ, tamen non sunt plures Dij, sed unicus duntaxat uerus & eternus Deus, seu unica indistincta essentia, quod plane idem est in hoc fidei articulo. Hæc ideo credenda sunt, quia de Deo aliter sentiendum ac statuendum non est, quām sicut in uerbo suo sese reuelauit, ut sèpè repetitur. Testimonia autem huius admirandi mysterij sunt.

Matth. 28. Baptisate eos in nomine Patris, & Filiij, & Spiritus sancti. Hic Christus in Nominе inquit, tanquam unicæ essentiæ diuinæ baptisandum, & tamen exprimit tres personas, distinctis nominibus. Loquitur autem Christus de uno & uero Deo, in cuius nomine baptisatio fit, is uero unicus Deus non est alijs, quām Pater, Filius & Spiritus sanctus, qui nos regenerat, ac sibi deuincit, quens perpetuo inuocare & colere debemus.

1. Iohann. 5. Tres sunt, qui testimonium perhibet, Pater, Logos, Spiritus sanctus, & hi TRES VNVN sunt. Omnes p̄ij in hoc dicto pondera istorum Verborum accurate obseruent, T R E S & V N V M. Nam clarissimis uerbis docet Iohannes, Tres esse in diuinitate coæquales essentia & potentia. Sed istos ipsos tres, esse V N V M, hoc est, unum esse Deum. Non enim plures coæternos aut

54 Tres personæ unus Deus.

coomnipotentes docet ac profitetur iohannes, q̄ unicum Deum.

Iohan. 10. Ego & Pater unum sumus. Verbum, sumus, personarum pluralitatem evidenter designat, sicut & uocabula, Ego & Pater. Vnum uero, unitatem naturæ seu diuinitatis exprimit. Cum hoc dicto plane conuenit, quod Iohan. 14. Christus profitetur ac docet, Philippe, qui uidet me, uidet Patrem. Quomodo tu dicis, Ostende nobis Patrem? Non credis, quod ego in Patre, & Pater in me est? Verba quæ ego loquor uobis, à me ipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera. Non loquitur autē hoc in loco Christus, de consensu uoluntatis inter se & Patrem, sed de essentia, quod unus idemq; omnipotēs Deus sit cum Patre omnipotēte.

Genes. 1. In principio creauit Elohim, Dij, cælum & terram. His plurali appellatione Dei, notwithstanding plures personæ, singulari uero uerbo unitas essentiæ, sicut interpretantur synceri Ecclesiæ Dei scriptores, et congruūt reliqua dicta clariora.

Genes. decimoctavo. Tres uiri distincti inter se diuertunt ad Abrahamum, & tamen ipse ex occulta inspiratione Dei, haud ignarus, diuinam maiestatem specie istorum uirorum ad se uenire, compellat eos singulari numero, Domine, inquit, obseruo, si mueni gratiam in oculis tuis, ne transeras a seruo tuo. Item, Dixit Iehoua, num occultabo

Abrahæ

## Tres personæ unus Deus. 55

Abrahæ, quæ facturus sum: ac certum est, appellatio  
nem Iehouæ, non tribui Angelis in scriptura  
sancta.

### R A T I O N E S.

In Baptismo seu regeneratione hominis, & accep-  
tatione ad uitam æternam, coniunguntur pari  
potestate Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Ergo hi  
tres sunt unus Deus. Namq; unius Dei opus est, sal-  
uare & uitam æternam tribuere.

Ioh. 5. inquit Christus, sicut Pater suscitat mortu-  
os & uiuificat, sic & Filius quos uult uiuificat.

Iohan. 14. Non creditis quòd ego in Patre, &  
Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa cre-  
dite. Hæc sententia conuenit cum ea, quæ Iohan. 10:  
recitat, Ego & Pater unum sumus. Pater in Filio  
est, & Filius in Patre, tali ratione, ut Pater & Fi-  
lius sint unus Deus cum spiritu sancto.

Habitare in cordibus hominum, resuscitare in  
nouissimo die, recipere in cælum, tam tribuitur Fi-  
lio ac spiritui sancto, q̄ Patri. Ergo Pater, & filius,  
& spiritus sanctus sunt unus Deus. Nam hoc opus,  
tantum unico illi Deo conuenit. Iohan. 14. 1. Corim.  
3. Matt. 25 &c. Eiusmodi ratiocinationes plures è  
sacris literis colligi possunt, quas breuitatis gratia  
omittimus.

Symbola quoque antiquissima, eandem doctri-  
nam luculenter tradunt. Nam Apostolicum inquit,

56 Tres personæ unus Deus.

Credo in Deum. Postea uero explicatur, quis sit ille Deus, nempe Pater creator, Filius redemptor, Spiritus sanctus uiuiscator. Calumnia & insania est, in eodem symbolo hæc uerba, Credo in Deum, tantum ad Patrem accommodare, atq; à Filio & Spiritu sancto penitus remouere. Sicuti enim uerbum credo, non tantum ad Patrem, sed etiam ad Filium & Spiritum sanctum pertinet, ita etiam vox Deus, quæ initio ponitur, uerè ac propriè ad Patrem, ad Filium, & ad Spiritum sanctum pertinet. Nam ille est Deus, à quo creationem, redemptionem & uiuificationem accipimus. Itaq; coniunctio E T, applicat ad hanc propositionem Credo in Deum, non tantum Patrem, uerum etiam Filium, & Spiritum sanctum.

Nicenum symbolum eodem modo propositionem præmittit, Credo in V N V M Deum, ac mox subiicit, Patrem, Filium & Spiritum sanctum. Insania igitur omnibus modis execranda est, quæ per se & tam luculenter sunt copulata, tam nefarie connellere.

Ita etiam Damasi symbolū habet, Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, & in Vnum Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei, & in Spiritum sanctum Deum, non tres deos, sed Patrem & Filium & Spiritum sanctum, unum Deum colimus & confitemur:

ALIA

# Tres personæ unus Deus. 57

## ALIA PATRVM DICTA.

Tertullianus contra Praxeam libro 20. In trinitate unitas disponitur, tres non statu, sed gradu, nec substantia, sed forma, nec potestate, sed specie. Unius autem substantiae, et unius potestatis, quia unus Deus, ex quo et gradus isti, et formae et species, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti deputantur.

Augustinus libro primo de Trinitate capite quarto inquit: Omnes quos legere potui, qui ante me scripserunt et hoc intenderunt secundum scripturas dicere, (Nota hæc Lector) quod Pater et Filius et Spiritus sanctus, unius eiusdemque substantiae inseparabili aequalitate, diuinam insinuant unitatem. Ideoque non sunt tres Dei, sed unus est Deus, quamvis Pater Filium genuerit, et ideo Filius non sit, qui Pater est.

Ac libro de cognitione ueræ uitæ inquit, capite 10. Constat profectio Patris et Filii et Spiritus sancti unam naturam, individuamque essentiam esse. Et De fide ad Petrum cap. 4. Trinitas ad personas referatur, unitas uero ad naturam:

Gregorius de Theol. lib. 5. Ipse certè sic de his sentio, et libenter sentio, tum quisquis mihi amicus est, idem facit, colendum esse ut Deum Patrem, colendum ut Deum filium, colendum ut Deum Spiritum sanctum. Proprietates tres, et deitatem

unam. Quippe quæ nihil partiatur, siue gloriam spectes, siue honorem, siue essentiam, siue regnum.

Cyrillus contra Julianum lib. 4. Non ignorauit Moses, quod Deus unus, hoc est, una deitatis natura, in sancta & consubstantiali Trinitate adoratur, nempe in Patre, & Filio & Spiritu sancto. Itē in Iohan. lib. 11. cap. 19. Vnus Deus in Trinitate adoratur.

Sunt igitur istæ tres diuinitatis personæ, coessentiales, coæternæ, coomnipotentes, sicut præclarè & iuxta sacrosantas scripturas Athanasius inquit: Fides catholica hæc est, ut unum Deum in trinitate, & trinitatem in unitate ueneremur. Neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia est enim persona Patris, alia Filiij, alia spiritus sancti. Sed Patris & Filiij, & spiritus sancti, una est diuinitas, æqualis gloria, coæterna Maiestas. Qualis Pater, talis Filius, talis spiritus sanctus. Item sicut sigillatim unamquamque personam, Deum aut Dominum confiteri, Christiana ueritate compellimur, ita tres Deos aut Dominos dicere, catholica religione prohibemur. Item, Et in hac trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus. Sed totæ tres personæ, coæternæ sibi sunt & coæquales.

### OBIECTIO.

Atqui posset aliquis obstrepare: Impingit hæc doctrina

doctrina in principia Arithmetica , nempe q̄ tria  
sint unum, ac unum tria: Respondeo : Deus non con-  
stringitur physicis principijs. Nā articuli fidei, ex-  
tra humanam rationem, peculiariter à Deo sunt re-  
uclati, ideoq; credi oportet, quicquid tandem ani-  
malis homo contra somniet. Præterea res longè mi-  
nores in ipsis creaturis, nostro ingenio non perspi-  
cimus, & qua tandem audacia ipsam diuinam Ma-  
iestatem perscrutabimur? Quis hominum aut etiā  
angelorum assequitur, cerebri in humano capite,  
constantis fluida & imbecilli materia, actiones? Pri-  
mū est in capite humano apprehensio rerum, siue  
lectarum siue auditarū, hoc est, intellectus . Deinde  
est in eo iudicium de rebus oblatis, sintne res ille  
oblatæ bone uel malæ. Tertiò inest memoria quasi  
penu, aut cista reconditoria, dijudicata reponens,  
eaq; rursus ad usus necessarios promens. Ista in una  
massa cerebri geruntur. Medici cellulas disting-  
uunt, in quibus istæ admirandæ actiones siant, quia  
experientia cognitum est, memoria sedem in po-  
steriori parte, apprehensionis in anteriori sitam  
esse. Sed hæc nondum explicant hoc mysterium,  
quomodo illi spiritus in cerebro existentes, tam  
præstantes actiones gignant. In corde hominis,  
primum est substantia carnea, solida, & compa-  
cta, deinde inest sanguis, tertius spiritus, nō tantum  
vitales, sed etiam affectus uelde mirabiles insunt.

Nec

60 Tres personæ unus Deus,

Nec potest illa creatura dicere, quomodo ista omnia, in tam parua urnula seu olla, & in tam humida re, quasi estuante & fumigante aqua, fiant? In ceraso primum conspicitur cuticula quædam, ueluti calo circumdans reliquam substantiam: deinde sequitur sanguinea caro seu massula, quasi uenis quibusdam artificiosissime contexta & cohærens: tertio in medio inest nucleus, ad propagationē diuina potentia mirabiliter creatus. Hec & similia, dico, nos homines, in tāta nostrarum uirium depravatione, humano intellectu penetrare, aut consequi non possumus, in quibus quidem omnibus, aliquid similitudinis de Trinitate latet. Verū comparatiunculas istas, dextrè oportet accipi. Antiqua est similitudo, de Sole, quæ etiam apud Tertullianum aduersus Praxeam extat. Sunt autem in Sole hæc tria, primum ipsum corpus solare, deinde radius inde procedens, tertio lux. Alij animam hominis inspiciunt, in qua tanquam unica substantia, intellectum, memoriam & amorem considerant. Alij mentem hominis Patri conseruant, imaginū formatae in mente filium, & motibus cordis spiritum sanctum. Verū nulla istarum similitudinum, currit quatuor pedibus, ut uulgo dici solet. Magis igitur ad uerbum Dei, quibus articuli fidei solidè confirmantur, quam ad umbras rerum respiciatur.

DE

# Differentia personarum.

61

## DE PERSONARVM differentia.

**P**AUCA & de discrimine personarum, commonefacienda sunt, De singulis autem postea, paulò fusiis, Deo dante, differemus.

Pater, ordine prima est persona. Secundò genuit Filium sibi coessentialē, coeternū & coomnipotentem, tertio misit Filium in hunc mundum, impo- sito ei pondere peccatorum totius generis humani.

Filius, ordine est secunda persona diuinitatis. Se- cundò est genita à Patre, ita tamen ut sit consubstancialis, coeterna, coomnipotens Patri. Tertio est persona missa in terras, quæ homo facta est, ac passione sua totum genus humanū reconciliauit. Quar- to est Pontifex & Mediator in eternum. Quintò Iudex uiuorum & mortuorum.

Spiritus sanctus, est tertia persona. Secundò non est persona generans nec genita, sed procedens à Patre & filio.

Vsus huius cōmonefactionis est, ne confundantur personæ, & cuilibet sua proprietas attribuatur.

Porrò notæ sunt Ecclesiæ Christi locutioes, per sonas diuinitatis discerni realiter, non ratione neq; essentialiter. Nam uera & propria est distinctio personarum, & essentia est tantum una. Item cùm diuinitas intra se consideratur, discernuntur perso- nae,

*ne, cum uero creaturis opponitur, Deus unus est.*

## CONTRARIA.

Sunt qui affirmant, gentes etiam aliquam Trinitatis cognitionem habuisse. Verum cum hoc mysterium sit incognitum rationi humanae, nimium eis adscribunt. Si autem de Triade aliquid nugati sunt, uel luserunt fingendis opinionibus uarijs de Deo, sine certo fundamento, uel ex doctrina Ecclesiae Dei aliquem sonum audierunt, quem tamen non intellexerunt. sic tricipitem Mercurium in iuis posuerunt, & Romae, &c.

Simon Magus, hereticorum Patriarcha, fons & origo, dixit se esse Deum, seq; alias ut Patrem, alias ut Filium, alias ut Spiritum sanctum apparuisse. Verum hunc impostorem puniuit Deus, corpore eius in terram illiso, cum in aere diabolicis artibus, tanquam alter Icarus uolitare tentaret.

Montanistæ, Sabelliani, Noëtiani, Samosateni, Marcellus, Photinus, plane ut ipsorum parens Simon, tres personas negarunt, afferentes, unum duntaxat esse Deum, qui interdum se ut Patrem, interdum ut Filium, interdum ut Spiritum sanctum gesserit & declararit. Patrem igitur, & Filium, & Spiritum sanctum, esse duntaxat unicam personam. Sed pugnat hoc delirium seu potius blasphemia, cum patefactionibus diuinis, in quibus distinctè tres personæ apparuerunt, cum uerbis Baptisi,

## Differentia Personarum.

63

Iudei & Mahometani, unum Deum fingunt, qui non sit trinus in personis, hoc est, qui non sit Pater, Filius & Spiritus sanctus. Itaque aliquid somniant, quod Verbum Dei ignorat. Nam sacrosanctæ literæ, tantum cum Deum docent ac profitentur, qui est Pater, Filius & Spiritus sanctus. Extra hunc Patrem, Filium & Spiritum sanctum, non est ullus Deus.

Et contra eos Christus fert iudicium Iohann. 5.  
Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem. Non uult enim Deus, alio modo sese agnoscere & inuocari, quam sicut se patefecit.

Serueti furorem, sequitur hodie in Polonia Gregorius Pauli Cracoviæ, qui adseuerat, Etsi tres sint, tamen non posse dici tres personas, & solus Deus Patrem esse unicum uerum Deum, non Filium, non spiritum sanctum. De hisce furoribus, altero libro iuuante Deo nonnihil differemus.

## SEXTO.

### DE P A T R E.

APPEL

**A**PPELLATIO Patris, in sacris literis non accipitur eodem modo. Aliás enim significat eum, à quo quis naturaliter natus est, ut Honora patrem & matrem tuam. Exod. 20. Et inde pro Maioribus accipitur, ut Ego sum Deus patrum tuorum, id est, Maiorum. Exod. 3. Et eadē ratione peculiari phrasi scripturæ sacræ, cui etiā patres dicuntur, ut Laban dicitur filius Nabor Genes. 29. qui erat eius avus. Nam Bathuel pater erat uerus. Inde per metaphoram, pro autore & origine accipitur, ut Iubal est pater Citharædorum, id est, author seu primus inuentor. Itē pro præceptore, aut qui alios beneficio affecit 1. Corint. 4. Non multos habetis patres. Sic appellabat ueros doctores Apostolus, à quibus initio doctrinam cœlestem acceperant, ac renati erant. Transfertur autem hæc appellatio ad Deum quoq; & habet tres significaciones præcipuas. Primum respectu Filij dicitur Pater, quia Filius est ab æterno ab hoc Patre genitus. Deinde respectu nostri, quia & creator est, & per Christum paternum erga nos habet animum, recipit nos in filios, paternamq; benevolentiam & auxilium præstat, Sicut Christus docet nos orare, Pater noster, qui es in cœlis. Tertiò pro autore accipitur, ut quod Deus dicitur Pater lumen, id est, autor & largitor lucis.

PAter est prima Trinitatis persona, non genit  
ta

*ta nec procedens, sed habens filium coessentialēm,  
ab ēterno à se genitum, quem etiam misit in mun-  
dum, ad redimendum genus humanū, donans cum  
filio, spiritū sanctū, à se & filio procedentem,  
creans & sustentans omnia, cum filio & spiritu  
sancto.*

*In hoc articulo Tria cogitantur, Primum q̄ Pā-  
ter sit persona. Deinde quōd sit à ceteris personis  
distincta. Tertiō, quas habeat proprietates sive sim-  
gulares, sive cum reliquis personis communes:*

*Primum Patrem esse personam, hoc est, uiuum  
quiddam existens, non inane nomen aut figmentum,  
ex plurimis testimonijis sacræ scripturæ liquet. Io-  
han. 6. Misit me uiuens Pater. Mittens autem ex  
Missus, hic substantialiter distinguuntur. Christus  
iuocat Patrem disertis uerbis, Pater clarifica me.  
Item, Pater transeat à me calix iste. Item, Consite-  
or tibi Pater cœli & terræ. Non autem iuocat se-  
ipsum, neq; iuocat figmentum aliquod, sicut For-  
tunam & Cererem iuocabant cœcæ gentes, sed  
substantiam ueram ac uiuam, quæ est Pater. In pa-  
tesfactionibus, Pater tanquam persona sese manife-  
stat, testificans de filio, Hic est filius meus dilectus.  
Et in uerbis Baptismi tres personæ recitantur. Huc  
pertinent & salutationes, quibus Apostoli in ex-  
ordijs suarum epistolarum utuntur, quibus Patrem  
ut personam nominant, primoq; loco ponunt.*

F Secund

Secundò Patrem distinctam Trinitatis personā, non ipsum filium, neq; ipsum spiritum sanctum esse, ex ijsdem testimonijs perspicuum est. Sed non gra= uabimur adhuc unum aut alterum adscribere. Psal. 2. Dominus dixit ad me , Filius meus es tu, Ego ho= die genui te. In hoc illustri dicto , duabus rebus di= stinctio personae Patris à Filio describitur. Primum mentio fit filij geniti, & eius qui eum genuit , estq; impossibile, hæc posse ad unam personam referri. Deinde discernitur loquens , & is ad quem sermo fit. Item in sequentibus uerbis , dans hereditatem , & eam accipiens. Amentia enim est, hæc uni & ei= dem persona tribuere. Psalm. 110. Dixit Iehoua A= donai Dominus Domino meo , sede à dextris meis. Rursus hic aliquot notæ proponuntur, ostendentes, Patrem esse distinctam personam. Nam primum hic duorum dominorum mentio expressè fit , & personas distingui , etiam Christus Matthæi uige= simosecundo docet . Deinde Dominus alloquitur non semetipsum , sed alteram personam. Tertiò alia est persona quæ collocat, alia quæ collocatur: Plures eiusmodi personarum distinctiones, totus ille Psalmus suppeditat. Matth. decimo sexto : Tu es Christus Filius Dei uiui. Hic Filius & Pater , non accipiuntur pro una & eadem persona, sed pro di= stinctis. Eodem modo Iohannes docet, Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse nobis reuelauit. Christus

non seipsum, sed distinctam personam, in horto & aliás inuocat. Ioh. 5. Pater meus usq; modo operatur, & ego operor. Quid clarius dici potest? Huc referātur uerba Baptismi, & peculiari atq; illustris reuelatio ad Iordanem, ubi Pater suam de Filio sententiam pronūciat. Ad eundem modum spiritus sanctus, non est ipse Pater, neq; ipse Filius, sed peculiares res seu persona, ut postea dicendum erit.

Tertio proprietates huic personæ tantum convenientes, sunt, quod primus in ordine personarum, ab ipso filio Dei in uerbis Baptismi recitatur, & obseruant Apostoli quoq; eam rationem, ut Patrem, quoties Dei mentio fit, præponant. Deinde, quod genuit Filium coæternum, & coessentialē, & coomnipotentem, cumq; misit ut fieret uictima, ad redimendum genus humanum. Psal. 2. Iohan. 1. Matth. 16.

Communes proprietates Pater cū Filio habet, & ab utroq; Spiritus sanctus procedit. Iohā. 16. 20.

Communes Patri proprietates cum Filio, & Spiritu sancto, sunt, quod est Creator, sustentator, gubernator, iuuificator rerum omnium, sumens pœnas de impoenitentibus, & remunerans iustos.

Cæterum in symbolo Apostolico, tribuitur creatio Patri synecdochicōs, atque haec proprietas recensetur, ut omnes Christiani in illud summum &

admirandum opus Dei intucantur.

### CONTRARIA.

Sabelliani & cæteri, negantes personarum in diuinitate distinctionem, hanc personam cum cæteris confundunt, sed confutantur fortissimè testimonijs suprà citatis, de distinctione personarum.

## SEPTIMO.

### DE FILIO.

#### DE APPELLATIONIBVS FILII DEI.

**V**ARIAS appellationes filio Dei, tum propter substantiam ipsam, tum propter copulationem diuinæ & humanae naturæ, tum etiam propter officium, & beneficia, quæ consert generi humano, sacrae literæ tribuunt.

Iehoua frequentissimè appellatur, ut suprà monimus, ut Ierem. 23. Hoc est nomen eius quo uocabunt eum, Iehoua iustitia nostra. Sciendum tamen est, hoc uocabulum toti diuinitati interdum attribui. Habet autem nomen ab existentia Filius Dei. Nam ab æterno existit cum Patre, neq; est tantum figuramentum mane, qualia sunt multa gentium Numina.

Exod. 3. Ero qui ero, hoc est, sum ille Deus, qui promisit

promisit, se se assumptum carnem humanam, propter redemptionem generis humani ex peccato et morte. Huc quadrat quod Paulus testatur, Christum adfuisse Patribus in deserto. 1. Corinth. 10.

Semen mulieris Genes. 3. Propter assumptionem humanae naturae, quam, ut pro peccatis hominum mori ac pati posset, filius Dei, ex decreto Majestatis diuinae, assumpturus erat:

Semen benedictum, Genes. 22. In semine tuo benedicentur omnes gentes. Semen vocatur promissus Messias, propter substantiam, quia erat futurus homo. Benedictum autem semen dicitur, quia favorem Dei et uitam eternam, peccato, morte et diabolo superatis, sua passione et obedientia impetratus, et credentibus largitur us erat.

Angelus. Genes. 48. Angelus, qui eripuit me ex omni malo, benedicat pueris istis. Vocatur autem filius Dei Angelus propter officium, quia mittitur a Patre, ut misericordia mortalibus operem ferat.

Propheta, propter docendi officium. Deut. 18: Prophetam de medio tui, ex fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, illum audient. Huc alludit turbæ iudicium, Propheta magnus surrexit in populo.

Adonai. Psal. 110. Dixit Iehoua Adonai, in quo dicto personæ perspicue discernuntur, et filio Dei appellatio Adonai tribuitur. Daniel. 9. Exaudi

*nos propter Adonai, id est, Dominum seu sustentatorem, cui incumbit tanq; fundamento administratio œconomiae aut reipublicæ.*

Immanuel. Esa. 7. Matt. 1. Ecce Virgo concipiet & pariet Filiū, & uocabis nomen eius Immanuel, id est, nobiscum Deus. Ita autē appellatur Messias, propter mirandam unionem naturæ diuinæ et humanae, & quia in nobis hominibus uult habitare, ut Tertullianus libro de Trinitate exponit per dictū, Matth. 28. Ecce ego uobiscum sum, &c.

Filius Dei. Psal. 2. Ego hodie genui te. Daniel. 3. Species quarti similis filio Dei. Tu es Christus, filius Dei uiui. Matth. 16. Dicitur autem propter substantiam filius, quia est unigenitus. Iohan. 1. Unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse nobis enarrauit. Discernendi enim sunt à filio Dei Unigenito, filij adoptiui, per fidem in Christum suscepti in hereditatem, de quibus dicitur, Dedit eis potestatem filios Dei fieri, quotquot credunt in nomen eius. Iohan. 1.

Puer natus, Filius datus, id est, uerus homo. Esa. 9. & ibi quidem plures appellationes recitantur, Vocatumque est, inquit Propheta, nomen eius, Admirabilis, propter essentiam, opera ac beneficia. Consiliarius, quia reuelat hominibus decreta Dei, & docet quomodo uincenda sit mors, quomodo recuperanda salus, quomodo inuocandus Pater cœlestis, quomodo placat noua obedientia.

Della

Deus fortis, quia uincit peccatum & mortem, & re-  
stituit genus humanum pristinæ dignitati, resusci-  
tat ex mortuis, saluat. Pater æternitatis, ab effectu,  
quia æternā uitam ipse acquisiuit et impertit homi-  
nibus. Princeps pacis, quia recōciliat Deū homini-  
bus, quia delet hostes generis humani, quia pacat  
cōscientias aduersus terrores et execratiōes legis.

Filius hominis. Daniel. 7. Ecce cum nubibus cæ-  
li, quasi filius hominis ueniebat. Et in nouo Testa-  
mento, Christus plerunque se appellat Filium homi-  
nis, ut, Filius hominis uenit querere & saluare,  
quod perierat. Luca 19. Filius hominis in Maiestā-  
te ueniet, Matt. 25. Quia uerus homo propter ho-  
mines factus est.

Seruus Domini, Brachiū Domini. Esa. 52. & 53.  
quia mittendus erat, ut baiularet peccata generis  
humani, & potenter illud uindicaret à tyrannide  
diaboli & mortis.

Virga de radice Iesse exurgens, flos de radice  
eius ascendens, radix Iesse. Esa. 11. quia erat futurus  
homo, nasciturus ex sanguine & familia Iesse pa-  
tris Dauid.

Germen Dauid. Esa. 23. Suscitabo Dauid germē  
iustum. Filius Dauid. Matt. 1. 22. Luca 1.

Ovis ad mactationem ducenda, agnus, quia uicti-  
ma erat futurus, mactanda pro peccatis generis hu-  
mani. Esaiae 16. 53. Sic Baptista eum uocat,

¶ proclamat agnum Dei, tollentem peccata mundi, Iohann. 1.

Deus. Esa. 35. Deus ipse ueniet & saluabit nos, quia iuxta substantiam, est uerus Deus. Osee 1. Sal uabo eos in Domino Deo suo.

Vir, propter humanam naturam, Ierem. 31. Fœmina circumdabit uirum.

Lapis auulsus de monte. Item Mons magnus, Daniel. 2. quia regnum Christi esset futurum non tantum in Sion, sed apud omnes gentes. Alia ratione appellatur ab Esaiā lapis, probatus, angularis, pretiosus, fundamentalis cap. 28. quia ipse nos sustinet & confirmat, estq; basis salutis nostræ. Et capit. 8. Lapis offensionis, petra scandali, quia destinatus erat passioni, id quod ualde scandalosum erat coram Iudeis. Nam splendidum Messiam, florem opibus & dignitate, pleriq; expectabant.

Siloh. Genes. 49. Non recedet sceptrum de tribu Iuda, neq; legislator de pedibus eius, donec uenerit Siloh, & erit ei aggregatio populorum. Vocatur autem Messias Siloh, quasi dicas factum eius, quia erat nasciturus de muliere, uel ab officio Salvator à שׁלה.

Messias, id est, Vnctus, quia liberator generis humani, erat futurus rex & Pontifex summus, qui preciosissimo balsamo inungi solebant. Item ab esse cito, quia Christus nos miseris homines uncturus erat

erat suo merito, ut ablati factore, rursus per ipsius  
fragrantiam possemus appropinquare Deo, item  
donatus spiritum sanctum. Dani. 9. Vsq; ad Mes-  
siam ducem. Item, Post hebdomades sexaginta du-  
as occidetur Messias. Ibidem appellatur & Sanctus  
sanctorum. Psal. 2. Aduersus Dominum & aduersus  
Messiam eius. Iohann. 1. Inuenimus Messiam, quod est  
interpretatum χριστός, id est, Unctus.

Rex. Zach. 9. Ecce rex tuus uenit tibi. Matth. 2.  
Vbi est, qui natus est rex Iudeorum? Quia est Rex  
spiritualis, gubernans regnum cœlorum, id est, Ec-  
clesiam, & destruens opera Diaboli.

Dominator in Israël. Micheæ 5.

Iustus. Zach. 9. Esa. 45. Nubes pluant iustum. E-  
sa. 51. Prope est Iustus meus, non tantum, quia ipsa  
substantia nihil est quam iusticia, sed effectu etiam  
quod ad nos, id est, nobis adferens & impertiens iu-  
sticiam, sicut inquit Paulus 1. Corinth. 1. Factus est  
N O B I S iusticia. Item, Rom. 4. Resurrexit pro-  
pter N O S T R A M iusticiam.

Saluator. Zach. 9. Rex tuus uenit tibi Saluator.  
Esa. 45. Germinet terra Saluatorem. ab officio,  
quia liberat nos à tristi captiuitate peccati, mor-  
tis & diaboli, ac restituit æternæ libertati & ui-  
tae. Hinc Simeon filium Mariæ in brachijs gestas  
inquit, se coram intueri salutare Israël. Et Angeli  
pastoribus denunciant, Natum esse Saluatorem,

qui sit Christus seu Messias, in ciuitate David. Lu-  
cæ secundo.

Iesus. Matt. i. Quia saluum faciet populum suum  
à peccatis suis.

Sacerdos, quia docendo, orando & satisfacien-  
do pro peccatis, nobis hominibus inferuiuit. Psal.  
110. Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem  
Melchisedeck.

Pastor. Iohan. 10. Ego sum pastor bonus. i. Pet.  
2. Conuersi estis ad Pastorem & Episcopum anima-  
rum uestrarum, ab officio, quia ipse nos eripuit  
ex fauibus peccati, mortis & diaboli, nosq; salui-  
fico pabulo uerbi sui suauiter pascit, uitamq; æter-  
nam nobis restituit.

Verbum, λόγος. Iohan. i. Verbum erat Deus:  
Et Verbum caro factum est, ab officio, ut Irenæus  
docet, quia hic Filius Dei, qui factus est caro, locu-  
tus est cum Patribus, & protulit sententiam Dei,  
quam uoluit hominibus esse cognitam. Certum enim  
est, ibi Verbum discerni à uoce seu doctrina, atque  
esse proprium nomen filij Dei.

Reliquas appellations nolumus curiose perse-  
qui, quas studiosi in corporibus Veteris & Noui  
Testamenti inspicere poterunt.

¶ Quid sit filius Dei?

Filius Dei est secunda persona diuinitatis, non  
generans neque procedens, sed genita ab æterno à  
Patre.

Patre, à qua persona simul cum Patre procedit, & mittitur spiritus sanctus, & hæc persona carnem humanam præfinito tempore suscepit, ut passione sua, totaq; obedientia, totum genus humanum redimeret, ac uitæ æternæ restitueret, estq; nunc etiam perpetuus sacerdos & Mediator apud Deum.

¶ Filium Dei esse personam.

Quod autem Filius Dei sit persona, hoc est, substantia individua, nō figuratum quoddam, ut est Fortuna apud gentes, ex manifestis scripturæ testimonijs patet. Nam in Iohann. cap. 1. scriptum est, In principio erat Verbum. Neq; uero ibi de prolatione aut uocali uerbo, sed de hypostasi loquitur Iohannes. Nā ait, hoc Verbū factum esse carnem. Cōstat aut, neq; cogitationem, neq; uocem seu doctrinā Dei Patris, carnem humanam induisse, sed ipsum filium Dei substantialem. Item unigenitus à Patre, cui quidem etiam enarratio consilij diuini, de redemptione generis humani ex peccato & cladibus omnibus, trahitur. Matth. 11. Nemo nouit Patrem nisi Filius, & Filium nisi Pater. Iohann. decimo septimo. Pater clarifica Filium tuum. Orat disertis uerbis, se seclarificari tanquam personam. Et in Veteri Testamento. Psalm 2. dicitur, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. In hoc dicto Deus Pater alloquitur personam, hoc est, rem subsistentem, quæ est Filius ipsius. Et hoc pertinet consensus

consensus & confessio piæ antiquitatis, quæ contra præstigia tores uarios, præclarè asseruit & obtinuit, filium Dei esse v. Quicquid oꝝ seu personam.

Probant autem eadem testimonia euidenter, filium Dei esse distinctam ac peculiarem personam, à Patre & spiritu sancto. Iohann. 1. Verbum erat apud Deum. Item, Hoc erat in principio apud Deum. Iohann. 5. Qui non honorat Patrem, non honorat filium. Iohann. 6. Duorum testimonium uerum est. Eago sum qui testimonium perhibeo de me ipso, & te stimonium perhibet de me, qui misit me Pater. Observa, quod expreſſe Christus duos nominat, id est, distinctas personas, se & Patrem. Illustrē & dictum Christi est, Iohann. 15. Cum uenerit Paracletus, quem ego mittam à Patre. Nam distinctionem personarum luculenter explicat.

Filium Dei esse Deum uerum, coëssentiale Patri & spiritui sancto, hoc est, unicum Deum cum Patre & filio, nec esse aliud unicum ac uerum Deum, quam qui sit Pater, filius & spiritus sanctus, paſsim demonstratur. Iohann. 1. Verbum, id est, filius Dei erat Deus. Et quidem eo in loco græcus articulus monet, Verbum loco subiecti, & Deus, loco prædicati accipi debere. Iohann. 10. Ego & Pater unum sumus. Vnum de essentia, sumus de personarū distinctione accipiendum est. Iohann. 14. Creditis in Deum, & in me credite. Fides non creaturæ, sed ipsi Deo tribuenda

tribuenda est. Postulat autem eadem ratione in se credi, qua in Patrem, Vnde sequitur, pari filium cū Patre, non tantum honore & potentia, sed etiam substantia existere. Præterea, opera quæ Christo adscribuntur, demonstrant eum uerè esse Deum. Io bā. 5. inquit, Sicut Pater uiuificat mortuos, sic & filius, quos uult uiuificat. Viuificare mortuos opus Dei est, quod, cùm eadem potentia præstet filius Dei, patet eum uerè diuina natura & potētia præditum esse.

Hebr. 3. Maior ponitur, Qui creat omnia, Deus est. Minor uero præmittitur: Hebr. 1. Omnia per ipsum condita esse. Est & hoc opus diuinitatem eius declarans. Impertit Christus remissionem peccatorum. Hinc sequitur conclusio liquidissimè, Ergo filium Deum esse, patriq; consubstantiale & co-omnipotentem necesse est. Thomas eum, sine ambagibus, sine dubitatione, præclara confessione, pronunciat esse Deum. Iohan. 20. Dominus inquit, me & Deus meus. Idem comprobant uerba Baptisi, in quibus excellentissimum illud & maximè ad mirandum opus, nempe regeneratio hominis, tam filio attribuitur, quam Patri & spiritui sancto. Roman. 9. Christus est Deus benedictus in secula. Gal. 1. Non ab homine accepi illud neq; didici, sed per revelationem Iesu Christi. Itaq; testatur, Christū esse Deum. Huc pertinent & hæc Veteris Testamenti testimonia.



testimonia. Oſe 1. Saluabo eos in Domino Deo ſuo. Hic perſpicuē Mefſias, qui eſt filius Dei, qui de bebat homo tempore præſinito fieri, uocatur Deus. Eſt. 7. Vocabitur nomen eius Deus. Et cap. 35. Ecce Deus uester ultionem adducet retributionis, Deus ipſe ueniet & ſaluabit nos. Abac. 3. Deus ab Auctro ueniet. Psalm. 110. Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, & ſimilia. Eiusmodi teſtimonia obſeruent pia pectora, ut fides in Chriſtum magis conſirmetur & ſtabiliatur, & ut inuocatio ardenter in nomine Chriſti fiat.

Aeternum eſſe filium Dei, ex ijsdem, quæ hac te-  
nus citauimus, teſtimonijs, perſpicuum eſt. Iohānes  
cap. 1. affirmat ac docet, Verbum, hoc eſt, Filiū  
Dei in principio ſuisse apud Deum. Psal. 2. ſcriptum  
eſt, Ego hodie genui te. Quæ quidem teſtimonia,  
de aeternitate omnes ſani doctores Eccleſiae Dei in-  
telligunt. Chriſtus idem aſſeuerauit. Iohā. 8. Antequām  
Abraham fieret, ego ſum, & Iohan. 17. Clarifica-  
me tu Pater apud temetipſum claritate, quam ha-  
bui, priuſquam mundus fieret, apud te. Et cūm hoc  
liquidō demonstratum fit, filium Dei nō ſolum titu-  
lo, ſed ipſa natura reuera eſſe Deum, planum ſimil-  
eſt, eum aeternum eſſe. Namque ipſa aeternitas ta-  
lis eſt proprietas, quæ uero Deo conuenit, ut abſ-  
que ea non exiſtat Deus.

## CONTRARIA.

Negantes

\*Negantes Filium Dei esse distinctam personam, in essentia diuina.

Sabellius, Samosatenus, Photinus & alij, negantur, Filium Dei esse distinctam personam diuinitatis, & contendunt Filium esse ipsum Patrem. Hic error a Simone Mago initium habuit, sicut ex Ireneo constat, id quod notatu dignum est. Sed Iohannes diserte inquit, Et Verbum erat apud Deum. Idem uero conuincunt apparitiones illustres, in Iordanie & monte Thabor factae, ubi Pater distincte Filium suum alloquitur. Sic autem argumentati sunt haeretici.

Deus est unus.

Christus est Deus.

Ergo Christus est ille ipse Deus, q[uod] est Pater.

R. Totum concedi posset, si de essentia, non calumniosè argumentum acciperetur. Est autem fallacia in uoce Deus, quæ alias significat οὐτιού διuinam, ut in Maiori, alias personam diuinam, ut in Minori, item quod illa persona sit unius, eiusdem que essentiæ cum Patre & Spiritu sancto, sine personarum confusione. Cum autem argumenti conclusio eò dirigatur ab haereticis, ut obtineant, Christus eandem esse personam, quæ est Pater, manifestum est, in conclusionem plus accipi, quam in præmissis est positum, ac necesse est ad Minorum adjici,

Christus

Christus est Deus, scilicet obseruata tamen persona rum, in eadem diuinitate distinctione. Vsurpant hæ retici & hoc dictum, Ego & Pater unum sumus. Verum rectè patres, horum uerborum Emphases, istis præstigiatoribus opponunt. Nam Ego et Pater, dixit Christus, ut personarum distinctionem exprimeret. Sumus dixit, non sum, ut idem plurali numero explicaret. Vnum præterea dixit, non unus, ut coessentialitatem, & nequaquam confusionem personarum doceret, sicut præclare monet Tertullianus, Vnum inquit Naturaliter positum, societatis concordiam, non unitatem personæ notat.

¶ Negantes diuinitatem filij Dei.

Ebion, Cerinthus, Montanus, Arius, Seruetus & alij innumerabiles, diuinitatem Christi miris præstigijs oppugnarunt, quasi non esset ðuoo' & coessentialis, coæternus, coomnipotens Patri. Decepti autem sunt duabus rebus potissimum. Primum quibusdam scripturæ dictis seu phrasibus, quibus in carnatio, humilitas, & obedientia Christi, ut homines Deo reconciliaret & saluos faceret, describitur, male detortis ad diuinam eius naturam, ut Pater maior me est. Verū in eo dicto, nō de diuinitate sua differit Christus, id quod facit alias, sed de admiranda humilitatis sue officio. Idē de reliquis dicitis, quæ intempestivè ab ipsis citantur, iudicium est.

Deinde

Deinde etiam dementati sunt quibusdam philosophicis principijs, malè accommodatis ad ipsam Dei essentiam, quæ illis nequaquam subiacet. Est enim Deus liberrimum agens, & sine medijs, & cum ipsis, pro suo iudicio & omnipotentia agens, ut

Omnis quod natum est, habet principium.

Filius Dei natus est.

Ideo habuit principium, esse cœpit, non est coæternus Patri, fuit tempus quando non erat, sicut tibi Arius loqui solebat.

Re ad Maiorem. Est principium philosophicum, quod locum habet in suo foro, hoc est, in rebus creatis à Deo, extra ipsum Deum: neq; ualeat in doctrina de essentia diuina. Nam ea in parte, sicut & in cæteris fidei articulis, ualeat principium istud Theologicum, Sic os Domini locutum est. Clarè autem inquit Iohannes, Verbum erat Deus.

Ad Minorem, Filius Dei natus est, ex Patre æternō, nō sicut est natus in mundo ex Virgine Maria, ubi secundum hominem esse cœpit. Ergo principium in Maiori corruit, quia extra suum forum, à creaturis ad ipsum Creatorem seu essentiam diuinam translatum est. Et frequentissimum est omnibus seculis, hoc pacto malè accommodatis principijs philosophicis ad res diuinas & articulos fidei, gignere opiniones falsas & blasphemias. Homines enim putant, se optimè concinnasse dogmata, quā

G do

do ad illa principia philosophica accommodantur.

¶ Negantes Christi humanitatem.

Simon, Saturninus, Marcio, Manicheus, alijque eius farinæ, humanitatem Christo adimere conati sunt, quasi non uerus homo, sed merum phantasma fuisset, ac per Mariam tanquam radius Solis per uitrum, aut aqua per canalem transuisset, nihil ab eius natura accipiens. Hinc etiam est illa cohors Patris passionis, quod non Filius, tanquam distincta persona diuinitatis, uerum Pater in forma Filii passus sit. Sed refutat istos omnes hoc insigne dictu,

Et Verbum caro factum est. Huc pertinent Anabaptistarum furiose blasphemiae de Christo, cum Manicheorum insanis congruentes.

Carpocrates & alij dixerunt, Christum non esse ex pura Virgine natum, sed ex societate conjugali Iosephi & Mariæ.

Valentinus asseruit, Christum attulisse carnem ex celo, & per Virginem, non ex Virgine natum. Sed haec portenta manifestis scripturæ sacræ testimonijs refutantur, quæ suprà exposita sunt.

Turci & Iudei primum negant, Christum esse natura filium Dei: deinde negant eum esse distinctā in essentia diuina personā: tertio negant eius officium, quod sit Messias ac redemptor generis humani ex peccato & morte. Ita quedam ex Arianismo, quedam ex alijs hæresibus recipiunt. Est enim Mæ-

home

hometanismus, quasi syrups uicioſiſimus, ex pluri-  
mis, ijsq; diuerſiſtis religionibus confusus.

Papistæ officium Christi impugnant, quod non  
ſit ſolus Mediator generis humani apud Deum, ſed  
una cum ipſo chorus sanctorum defunctorum, qui-  
bus quidem tanquam alicuius aulae preſectis aut co-  
ſiliarijs, diuina officia diuribunt. Item, quod adi-  
tum ad ſalutem, ſeu primum eius gradum meruerit  
Christus, poſtea uero homines ſuis meritis, iuſti-  
ciam per Christum partam, nobisq; donatam, ab-  
ſoluere & perficere poſſint ac debeant, ſicut Inte-  
rim manifeſte contedit, & omnes eius patroni. Sed  
aperta & clara uox Christi eſt, Nemo uenit ad Pa-  
trem, niſi per me, Ego ſum uia. Item, Petrus diſer-  
tiſime inquit, Non eſt in alio quoquam ſalus.

### DE DVABVS NATVRIS IN CHRISTO.

**P**orrò adueram, huius ſecundæ in diuinitate  
perſonæ, noticiam pertinet, ſcire & credere,  
in Iesu Christo, nunc eſſe & in omnē aeternita-  
tem uſq; manere duas naturas. Vnam, quam ab aeterno  
no habuit, & que eſt filius aeternus aeterni Patris:  
Alterā, quam non habuit ab aeterno, ſed quā in ute-  
ro uirginis Mariæ uſcepit, factus homo. Hę aut̄ duæ  
diuerſaq; nature, coierunt atq; unitæ ſunt unione

hypostatica, ita quidem, ut non sint istae naturae confusae, non altera in alteram transierit, sed sint inenarrabili modo unitae. Permansit quod erat filius Dei, et suscepit quod non erat, nempe naturam humanaam, ut in illo uulgari uersu dicitur,

Sū quod erā, nec erā quod sum, nūc dico utrūq;. Hæc nonnihil euoluenda sunt.

Primum, Iesus Christus est natura Deus, et quidem filius Dei. Iohann. i. Unigenitus, qui est in simo Patris ac discernitur hac appellatione à filiis adoptiuis, qui sunt fide in Christum. Item, Matth. 16. Tu es Christus filius Dei uiui. Gal. 4. Misit spiritum filij sui in corda. Estq; coessentialis et coæternus filius Patri cælesti, sicut in secundo Psalmo dicitur, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Cæterum, quomodo ista generatio filij æterni, à solo Patre æterno sit facta, ita inquam, quod absq; principio filius fuit cum Patre, neq; est ullum tempus imagine concipiendum, quo non fuerit filius, non est in sacris litteris perspicue et expressè traditum, neq; mens humana potest capere, ac uidemus Patres, etiam si fuisse articulum de Trinitate tractauerunt, tamen quando ad hunc punctum de æterna atq; inexplicabili generatiōe filij Dei ueniunt, tum modestissime uela contrahere, ac potius tantum essentiae diuinæ mysterium adorare, quam scrupulose et periculose scrutari, idq; monent etiam alijs faciendum esse.

Quod

Quod secunda persona diuinitatis sit uerè filius Dei, & is sit à Patre cœlesti ab æterno genitus, q̄ sit persona distincta à Patre & spiritu sancto, articuli sunt fidei, de quibus nemini mortaliū fas est ambigere. Si quis autem contrarium sentit, is iure hæreticus censetur. Sed quomodo filius ille æternus ab æterno à Patre æterno sit genitus, mysterium est, quod in altera uita discemus. Proinde cogitationes humanæ, de hoc mysterio sobrie sint, ac semper instantam solençem protestationem adiunctam habeat, quod ipsi articulis fidei patefactis certo uerbo, opiniones hominum in tam sublimibus rebus, nequam quam sint pares. Possideant igitur tantummodo, humanarum cogitationum atq; comparationum locum, neque ulterius quam debent euhantur. Prodest autem scire, nostrum Seruatorem natura diuina uerè præditum esse, ut ueram Dei consequamur noticiam, ut fides Christo plenius inniti poscit, ut beneficiorum Christi amplitudo confosciatur.

Deinde Iesus Christus est homo, non putatiuus, sed uerus ac naturalis, carne & anima constans, si cuti cæteri homines dempto tamen peccato. Quod autem homo sit, primum ex ueteri Testamento per spicula testimonia probant. Ut Genes. 3. Semen mulieris conteret caput serpenti: Genes. 12. In semine tuo benedicentur omnes Gentes. Esa. 7. Virgo concipiet & pariet. Esa. 9. Puer natus est nobis, & filius

Ius datus est nobis. Idem declarant historiæ innouo Testamento, conceptio, natiuitas Christi. Voca tur & est filius Abrahæ & Dauid. Matth. 1. & 21. Rom. 1. Seipsum crebrò appellat Christus filium hominis, & post resurrectionem se discernit à Spiritu, clare docens, se carnem & ossa habere. Lu. 24. Illustrissima est sententia, quod Iohannes cap. 1. rotundo ore dicit, Et Verbum caro factum est. Omitto iam enumerationē proprietatum omnium, quæ humanae naturæ in Christo conueniunt.

Operæ premium autem est expendere, quales tam proprie*tates* Christus in humana natura habet at peculiares, & non communes nobiscum. Primū enim tantum ex Virgine pura natus est, non ex Pate carnali, id quod nulli hominum unquam contigit, neq; continget in æternum. Hoc ipsum pulchre, quasi inuolutum erat primæ promissioni, Semē mulieris conteret, inquit Deus, serpenti caput, non dicit, Semen Viri. Et Esa. 7. Ecce Alma concipiet, quæ uox de intemerata uirgine intelligitur. Ierem. 31. Fæmina circundabit uirum. Et Lucæ primo, Gabriel disertè hunc articulum tractat & explicat, Concipies, inquit, in utero. Item, Spiritus sanctus in te superueniet. Eod expectat, quod Matthæus capite primo, emphaticè inquit, Ex qua natus est Iesus. Docet ibidem Angelus Iosephum, sic inquiens, Quod in ea natu est, de Spiritu sancto est. Secundo sine contagio peccati originalis conceptus & na-

tus est, id quod etiam nulli alijs hominum contigit. Nam Adam & Eva nati non sunt, sed creati. Hoc si significat Angelus Lucæ 1. Quod ex te nascetur Sanctum, ideoq; commemorat, spiritum sanctum isti conceptioni ad futurum. Debebat præterea Messias aliena peccata expiare, ideo necesse fuit, ut proprijs sordibus prorsus uacaret. Tertio natura humana in Christo personaliter unita est diuinæ naturæ, id quod etiam nulli alijs hominum attribui potest, licet sua etiam ratione, credentes in Christum, sint templa Dei, in modo etiam Christi membra.

Verum istæ due naturæ in Iesu Christo non sunt permixtæ, non in se inuicem transierunt, sed mirabiliter & inexplicabili modo unitæ sunt, ita ut Iesus Christus sit unica persona. Veteres comparationibus quibusdam de ferro igne calefacto, de anime corporis coniunctione, ac similibus usi sunt, sed tantum mysterium dignè efferri non potest. De hac admiranda unitione Iohannes dicit, Verbum caro factum est. Puerca quidem uerba effert, sed mystrium omnium amplissimum proponit.

Visum est & Tertulliani quendam locum adiungere, qui in libro de Trinitate sic inquit, Ideo Christianum Iesum Dominum ex utroq; connexum (ut ita dixerim) ex utroque contextum & concretum, & in eadem utriusque substantia concordia mutui ad inuicem fæderis confibulatione sociæ

tum, hominem & Deum, scripturæ hoc ipsum dicitis ueritate cognoscant. Pulchrè & hac sententia naturarum distinctionem exponit. Nō est inquit (Christus) ex hoc mundo secundum uerbi diuinitatem. Ex hoc mundo est, secundum suscepti corporis fragilitatem. Homo est enim cum Deo iunctus, & Deus cū homine copulatus.

Et Augustinus de incarnatione uerbi Dei lib. I. cap. 16. sic inquit: Firmissimè tene, & nullatenus dubites, Dei Verbum, quod caro factum est in duabus naturis inconfusibiliter permanere. Vnam uero diuinam, quam habet cum Patre communem, secundum quam dicit, Ego & Pater unus sumus, & Qui me uidet, uidet & Patrem meum, & Ego in Patre, & Pater in me est. Secundum quam cum dicit Apostolus splendorē gloriae & figuram substantie Dei. Alteram uero humanam, secundum quam ipse Deus incarnatus dicit, Pater maior me est.

Neq; uero deposituit humanam suam naturam Christus à resurrectione, sed retinuit ac retinet in æternum, licet nouæ quædam glorificationes accesserint, ut quod in cœlos est subiecta, quod sedet ad dextram Dei, & similes.

Causas autem huius unionis, piae mentes considerēt. Prima est, Declaratio immensæ peccatorum humanorum magnitudinis & atrocitatis, quæ remoueri & expiari non potuerunt ullo alio modo,

quam

quam ut tanta fieret copulatio diuinæ ac humanæ naturæ. Secunda est, Declaratio immensæ dilectionis erga genus humanum, quod Deus filium huic tantæ humiliationi destinauit, & filius promptissime eam subiit, ut genus humanum ab eterna damnatione vindicaret. Tertia, Homo factus est, ut quia per hominem lapsus commissus erat, in humana natura, id quod Iusticia Dei ab hominibus exigerat, præstaret, nempe ut posset mori, (Nam mors est stipendum peccati) & in ea ipsa natura obedientiam toti legi debitam exhiberet. Deus autem est, ut hanc tantam rem, cui humana natura, quamvis à proprijs peccatis libera et uacua, non poterat esse par, potentius efficeret, totumque opus redemptionis coram Deo & hominibus plenius & admirabilius, in omnem usque eternitatem existeret. Quarta, ut tantus Messias ac Saluator, parta bona, maiori potentia & efficacia posset distribuere omnibus hominibus, in omnibus locis totius orbis terrarum habitantibus. Ad eam ipsam rem, natura diuina requirebatur, siquidem humana natura per se solummodo id præstare non potuisset. Quinta, ut omnes credentes pleniorem haberent consolationem, quo ad Deum eiusque iudicium, ad mortem, ad resurrectionem, in modo etiam ad terrores Diaboli, & inferni, & ad omnis denique generis afflictiones in hac etiā vita.

## CONTRARIA:

Pugnant cum hac doctrina, errores Nestorij & Eutychetis. Nestorius enim nimis distraxit naturas in Christo, adeò, ut asseueraret duas illas naturas, duas esse personas. Non n. potuit sua mēte consequi hoc mysterium diuimum, quomodo unicus Christus, seu unica persona, cōstataret natura diuina ac humana. Sed captiuanda est ratio humana in obsequium Dei. Verbum Dei docet, Verbum carnē esse factum, Itaq; hunc articulum simplici fide amplectamur, & Ecclesie Dei doctrinam reuerēter tueamur. Eustyches uerò in altera extremitate impingens, conatus est adstruere, duas illas in Christo naturas, tantum esse unitas, ut altera in alteram transierit penitus. Verum eam quoq; confusionem naturarum abborrent sacrae literæ. Et si enim eam unionem naturarum, quæ est in Christo Iesu, nulla creatura potest explicare, tamen sacrae literæ apertissimis & clarissimis testimonij docet, Iesum Christum esse tum hominem uerum, tum etiam Deum uerum, ac recte Ecclesia Dei istos furores de confusione naturalium refutauit, qua de re cum fructu legi poterunt Synodi Ephesina & Chalcedonensis.

DE PRÆCIPVIS OPERIBVS  
Filij Dei.

Vt immensum Filij Dei erga homines amorem, paululum expendamus, annotabimus quasi pun-

*dis*

Etis quibusdā, maximē insignia Iesu Christi opera,  
quorum facit sacra scriptura mentionem, idq; tan-  
tum summis generibus.

Primum, omnia per hunc Filium sunt facta Ioh.  
1. Hebr. 1. licet etiam Pater ac Spiritus sanctus huic  
operi adfuerint, suaq; peregerint officia.

2. Collegit Ecclesiam ex perditis hominibus, pro  
ferendo doctrinam Dei, uocando homines, gubernan-  
do & defendendo suam Ecclesiam. Nam Paulus  
1. Cor. 10. docet, Filium Dei Ducem extitisse popu-  
lo Israelitico, transiungi per mare rubrum, &c.

3. Hæc persona est incarnata, redemit sua passio-  
ne & morte genus humanum, et peperit nobis cœ-  
lum, & eternamq; iusticiam. In hoc opere factus homo  
docuit Ecclesiam, miraculoſe resuscitauit mortu-  
os, restituit ægrotos sanitati, resurrexit ipſe à mor-  
tuis, & ascendit ad cœlos uisibiliter.

4. Ordinavit & gubernat uocationem Eccle-  
siae sua, usq; ad mundi interitū. Clarè enim inquit,  
Ego uobiscum sum usq; ad finem mundi. Hanc mini-  
sterij uerbi diuini partem, ornauit effusione spiri-  
tus sancti uisibili. Et Paulus disertè inquit, cum sub  
inde omnibus temporibus salutares doctores ex-  
uscitare & largiri, Ephe. 4.

5. Redibit uisibiliter ad iudicium, & suos creden-  
tes in æterna gaudia, quæ acquisiuit preciosissimo  
suo sanguine, traducet. Incredulos uero in ignem  
coniūciet,

coniūciet, quem ipsis manifestis uerbis prædictis,  
Matth. 25.

Postremò proprietates singulares Christi ante incarnationem sunt, quòd ab æterno consubstantialis est filius Patris cœlestis, quòd recepit, reuelauit & promisit, se futurum esse hominem. Communes cum Patre & spiritu sancto, ante incarnationem habuit, quòd est eis òneooúσιος, coëssentialis, unus cum ipsis personis æternus ac uiuens Deus, quòd est cum ipsis creator & sustentator cœli ac terra, & omnium reliquarum creaturarum. Post incarnationem uero has proprietates accepit, quòd in unica ipsius persona, unitæ sunt mirabili copulatione ac societate due naturæ, diuina & humana, quòd redemptor, Mediator, Sacerdos factus, omniaq; absoluuit, quæ quidem ad tantæ humiliationis officium pertinent. Communes cum Patre semper habuit & habet proprietates, quòd à Patre simul & filio spiritus sanctus procedit, effunditur & mittitur. Communes cum Patre & spiritu sancto etiam semper habuit & habet quòd regenerat, iustificat, & saluat homines, & quæ his sunt similia. Hæc repeto ut uera Christi noticia conseruetur, & fides in eum magis excitetur & confirmetur;

OCTAVO.

## OCTAVO.

## DE SPIRITU SANCTO.

## De Vocabulo.

**R**V A H spiritus, in sacris literis uarias habet significaciones.

Primum significat uentum, seu aëris agitationem sanè mirabilem, quæ in creaturis suam habet efficaciam, & interdum quoq; pœna Dei, atq; argumentum indignationis sue est. Iohan. 3. Spiritus ubi uult spirat.

Secundò, significat uitam hominis naturalem, quæ in spiritibus uitalibus consistit, ac uidemus hominem uiuum spiritum emittere atq; attrahere, & hunc uento cessante, cessat uita humana. Eadem ratione pro anima accipitur, & pro robore uel imbecillitate uel alijs qualitatibus animi. Psalm. 30. In manus tuas commendô spiritum meum, hoc est, uitam seu animam meam. Lucæ 8. Reuersus est spiritus eius, id est, anima seu uita. Iosuæ 5. Dissolutum est cor eorum, & non remansit in eis spiritus, id est, uehementer consternati sunt. Genes. 45. Reuixit spiritus eius, hoc est, animo lætatus est: Nam ad pauorem seu lætitiam, uel debilitatur uel corroboratur

boratur spiritus ille uitalis in homine.

Tertio significat in genere spiritualem substanciam, siue bonam, siue malam. Iohan. 4. Deus spiritus est. Et Luce 24. Spiritus carnem & ossa non habet.

Quarto, Effectus Spiritus sancti in renatis significat, & complectitur nouitatem spiritualem, ut Galat. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus aduersus carnem. Nam carnem appellat Paulus hominem interiorem & exteriorem, quatenus abhuc habet reliquias peccati. Spiritum uero uocat hominem, quatenus est renatus, ac regitur per spiritum sanctum, atque ea quae sunt Dei, expedit.

Quinto peculiariter pro tertia persona diuinitatis accipitur, hoc est, pro substancia individuali & uiua, & essentiali, coeterna, & omnipotente Patri & Filio, Atq[ue] in hac significatio[n]e interdu[m] simplificiter usurpatur, ut Matth. 4. Ductus est a Spiritu in desertum. Alias uero Epitheta recipit, ut spiritus Patris. Matth. 10. Non uos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris uestri, qui in uobis est. Spiritus filij. Gal. 4. Misit Deus spiritum filij sui in corda uestra. Et in genere Spiritus Elohim Genes. 1. Spiritus Elohim ferebatur super aquas. Item spiritus Dei. Roman. octauo. Qui spiritu Dei ducuntur. Spiritus Ichoue. Esa. sexagesimo primo. Præterea ab effe-

Etiam fortitur nomina, ut spiritus sanctus. Iohann. uigesimalis. Accipite spiritum sanctum, quia sanctitatem impertit. Spiritus gratiae & precum, quia gratiam Dei adserit & preces excusat. Zach. 12. Spiritus adoptionis filiorum Dei. Rom. 8. Sapientiae, consilij, roboris. Esa. 11. Spiritus ueritatis Iohann. 16. Paracletus, id est, aduocatus, Consolator. Iohannes 16. Plus res appellationes ex Biblijs collectas, in corporibus Veteris & Novi Testamenti inuenire licet.

¶ Quid sit?

Spiritus sanctus est tertia persona diuinitatis, non genita, sed procedens à Patre & Filio, quae in Ecclesiam Dei mittitur, ad regendum publicū ministerium, ut per illud regeneret uiuiscet, et saluet homines. Hæc definitio ex multis p̄spicuis dictis extracta est, quorum quedam in sequentib. partib. erunt alleganda.

Esse autem spiritum sanctum personam, non cogitationem, agitationem aut motum Patris aut Filii, sed rem uiuam, per se subsistentem, incommunicabilem, hæc illustris sententia docet. Iohann. decimmo quinto. Cum uenerit Paracletus, quem ego mittam uobis à Patre, Spiritum ueritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Diserte ait Christus, se missurum spiritum sanctum. Non autem poterat dicere, se missurum seipsum, nec dicebat se Patrem ipsum missurum, quia addit, qui à Patre procedit. Manifestum est igitur, Christus

stum de spiritu sancto, tanquam de persona dicere? Certum etiam est, de personis Christum loqui, quando Baptismum iubet conferre in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Sic Genes.1. in his uerbis, Spiritus Dei incubabat aquis, persona describitur. Item in eo dicto, Verbo Domini cœcli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Insuper peculiaris est persona, quæ specie columbae Matth.3. & in uento atque ardentibus linguis apparet. Actorum 2.

Quod sit persona diuinitatis, id est, uerus Deus, eadem demonstrant. Nam Christus spiritum sanctum collocat inter personas, in Baptismo regenerationem operantes, id quod nulli creature conuenit. Sic 1. Corinth.12. apertis uerbis uocatur Deus. Ex ipsis fontibus manat & hæc doctrina, quod spiritus sanctus sit persona distincta à Patre. Huc pertinent quoq; istæ sententiæ, Gen.1. Spiritus Dei ferebatur super aquas. Nam de spiritu sancto hoc dictum Ecclesia accipit. Item, Esa.61. Spiritus Domini super me. Item, Psal.52. Spiritum tuum sanctum ne auferas à me. Iohan.14. Ego rogabo Patrem, & aliū Paracletū dabit uobis. Distinctè hic trium personarum fit mentio. Idem diuina patefactio ad Iordanem illustrat. Pertinet huc & memorabilis historia Pentecostes, in qua spiritus sanctus flamma linguis accendente, conspectus est. Præterea cum procedat

cedat Spiritus sanctus à Patre & Filio, & tribuantur ei eadem opera, quæ Patri & Filio, ut sunt creare, regenerare, sanctificare, saluare, sequitur, eum uerè coessentialē, coæternū & coomnipotētē esse cum ipsis. Testimonium Gregorij Nazianzeni adscribere libet, qui in oratione quinta de Pentecoste ait: Spiritus sanctus erat quidem semper, & est & erit, neq; incipiens, neq; desinens, sed semper Patri & Filio coordinatus & connumeratus. Neq; enim decebat, aut Filium aliquando defuisse Patri, aut Filio spiritum. In maximo enim ignominiam pateretur diuinitas. Hæc ille.

Proprietates spiritus sancti sunt, quod procedit de Patre & Filio. Nam quod à Patre procedat, Christus ipse docet, Iohā. 15. Qui à Patre procedit. Quod uero similiter à Filio procedat, re ipsa Christus probat. Nam insufflādo, Spiritum sanctum Apostolis communicat. Iohan. 20. Et Paulus Gal. 4. inquit, Quoniam estis filii Dei, misit Deus spiritum filii sui in corda uestra. Item Rom. 8. Qui spiritum Christi non habet, is non est eius.

Quomodo autem talis processio fiat, mysterium est diuinum inenarrabile. Christus afflatu spiritum sanctum effundit in Apostolos. A spiritu, qui in amore ardentia & uero, ex corde hominis emititur, & ipso calido halitu seu afflatu, præsertim in osculis liberorum effunditur, comparationem quidam pe-

H tunt,

tunt, quod simili ratione etiam spiritus ille sanctus ex corde Patris Filijq; emanet. Sed à creaturis ad creatorem, infirmæ sunt collationes, estq; Spiritus sanctus persona diuina, ideo comparationes non ultra terminos suos sese efferant.

Mittitur autem Spiritus sanctus in Ecclesiam Dei, ibiç donatur per Verbum Dei & Sacramenta, & datur credentibus & orantibus, ut Christus testatur Lucae undecimo. Quantò magis Pater cœlestis dabit spiritum sanctum potentibus. Hoc Dei donum, piæ mentes plurimi faciant. Quid enim potest esse sublimius spiritu sancto, qui est substantia Deus? quid salutarius eo, quia regeneracionem, salutem, fidem, sanctitatem adfert & operatur? Sine hoc numine, reuera nihil est in homine, nihil est innoxium.

Præterea mittitur spiritus sanctus duplice modo. Aliás, & omnium creberrimè inuisibiliter, per Verbum & Sacra menta, licet etiam absq; illis specialiter & miraculose in Baptistam, utero matris adhuc inclusum, Spiritus sanctus missus fit. Aliás uero inuisibiliter, ut in Pentecoste, & plurimis historijs, quæ in Actis Apostolorum describuntur.

#### ¶ De Operibus seu effectibus Spiritus sancti

Prodest ad ueram Spiritus sancti notitiam consequendam, & ad tantum hospitem magnificendum,

dum, expetendum, ueraq; pietate colendum, ut opera quædam ipsius in conspectu habeamus, quibus de genere humano præclarè meretur.

Primum igitur spiritus sanctus est creator rerū omnium, cum Patre & Filio, ut Genes. 1. docet Moses. Ergo & perpetuus conseruator.

Secundò, est collector, gubernator, conseruator & propagator Ecclesiæ Dei omnibus temporibus, Christus Matth. 22. docet, David eum in spiritu uocasse Dominum. Rexit igitur Spiritus sanctus David, & totam Ecclesiam eius temporis, ut Messianum cognorint, & statuerint, eius beneficijs se corā Deo iustos censeri, & habere remissionem peccatorum. Emissurus ministros uerbi in orbē Christus, adiungit eis spiritum sanctum opitulatorem, Accipite, inquit, spiritum sanctum. Iohan. 20. Probat etiā hanc partem luculenter historia Apostolorū, quorum ministerio uisibiliter adfuit spiritus sanctus. Act. 20. Cauete uobis & uniuerso gregi, in quo uos spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.

Tertiò, Adiuuat conceptionem Christi ex Maria uirgine, Luce 1. Gubernat Christum, eiusq; conatibus adest. Iohan. 3. Non ad mensuram dat ei Deus spiritum. Item spiritus sanctus in eum uisibili specie descendit. Dicitur à spiritu in desertum, &c.

Quartò, Doctrinā cœlestem conseruat & pro-

pagat. Hinc Spiritus ueritatis appellatur, Item. Ille docebit uos omnia. Iohan. 14. & Matth. 10. Non uos estis qui loquimini, sed spiritus Patris uestri, qui loquitur in uobis. Spiritui sancto etiam clauium administratio tribuitur. Iohan. 20.

Quinto, Regenerat, uiuificat, sanctificat, Iohan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare regnum Dei. Iohā. 6. Spiritus est qui uiuificat, caro non prodest quicquam. Tit. 3. Saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti.

Sexto, Impertit dona linguarum & prophetiarum, Act. 2. 1. Corinth 12. 2. Pet. 1. A spiritu sancto impulsī, locuti sunt sancti Dei homines.

Septimo, Accedit ac dirigit inuocationem, Iohan 4. Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & ueritate. Rom. 8. Accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater. Galat. 4.

Octauo. Est consolator cordium. Iocl. 2. Effundam super domum Dauid, spiritum gratiae & precum. Iohan 14. uocatur Paracletus, hoc est, aduocatus, robur fidei & consolationis, in angustijs conscientiae & alijs afflictionibus suggerens. Habitat in ijs. Iohan. 14. Apud uos manebit, & in uobis erit. Item, 1. Corinth. 3. Templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in uobis. Similes spiritus sancti operationes

*rationes plures, facile à pījs colligi possunt.*

Quod autē spiritus sanctus, peccatis contra conscientiam, et impoenitentia excutiatur, exempla Saulis, Davidis, Petri, et aliorum manifeste docent. Praeclarè Emisenus in homilia de ascensione inquit, Nulli extra Ecclesiam datur Spiritus sanctus, et eos etiam qui habent, si ab ea se separauerint, derelinquit. Recuperatur tamen pœnitentia, non quidem ex nostra industria seu merito, sed ex dono Dei gratuito, propter Christum, sicut in Davide, Petro et similibus uidere est.

## CONTRARIA.

Simon et eius sectatores, Sabellius, Samosateanus, Iudei, Turci, et reliqui τον εν ματόμαχοι, negant Spiritum sanctum esse personam diuinam, et affirmant eandem esse personam, que et Pater, et esse dunt taxat motus seu agitationes quasdam, Venerum istos furores, manifestissimè refutant historiae patefactionis diuinae ad Iordanem, et in Pentecoste, item uerba Baptismi, et alia plurima testimonia, quorum aliquot supra recensui.

Græci, et si diuinam personam esse concedunt, tamen processionem eius à filio negant, quorum opinionem refellit factum Christi. Iohan. 20. Nam exufflando impertit Apostolis Spiritum sanctum, et Galat. 4. appellatur spiritus filij. Deniq; ipsimet Græci scriptores rectius sentientes, hanc doctrinam,

publicis scriptis comprobarunt, nimirum quod spiritus sanctus à Patre, filioq; procedat. Nam Athanasius in symbolo inquit: spiritus sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Chrysostomus in expositione symboli: Iste est spiritus procedens de Patre & Filio, qui diuidit domum pro ut uult.

Ariani asseuerarunt, spiritum sanctum esse creaturam, item minorem filio. Sed quia ante mundi initium fuit, hoc est, ab aeterno, & claris uerbis Deus appellatur, deniq; quia diuina ei opera tribuuntur, ideo creatura dici non potest.

Montanus & Manichei, semetipsos affirmant esse spiritum sanctum. Hierarchæ, ipsum Melchisedec dixerunt esse spiritum sanctum. Hæ blasphemiae manifestè doctrinam sacram de spiritu sancto delent.

Enthusiastæ, ut Stenckfeld & Anabaptistæ, officium spiritus sancti impugnant, docentes, sine uerbo Dei dari & efficacem esse spiritum sanctum. Sed Christus Iohan. 16. 20. Paulus Roman. 10. Galat. 3. perspicue docent, per Verbum spiritum sanctum efficacem esse.

Contemptores uerbi & pertinaces peccatores, impugnant & tollunt spiritus sancti officium seu ministerium, de quibus Genesios sexto scriptum est, Homines nolunt amplius iudicium seu reprobationem

bensionem spiritus mei ferre , ut interpretatur  
Lutherus.

## NONO.

DE ACTIONIBVS  
DEI.

**R**Estat, ut de actionibus Dei quædam adiūciamus. Etsi autē hæc subinde interspersa sunt, quando de officijs & operibus cuiusq; personæ dictum est , tamen hic uice coronidis breuem quandam summam repetere uisum est, ut gubernationem Dei piæ mentes considerent, atque inuocationem ardenter & gratiarum actionem in se excitent. Porrò de reuelatis tantum , seu manifestis actionibus Dei, hoc loco differimus , quantum quidem imbecillitas humana ualet consequi, non de occultis, quarum inuestigatio, ut est nobis in hac uita impossibilis , ita etiam maximè temeraria & perniciosa, si quis eas scrutari conetur.

Sunt autem actiones Dei, ne nimis subtiliter eas persequamur , triplices . Aliæ , quæ creationem rerum præcesserunt , aliæ , quæ nunc in præsenti mundo fiunt , quarum aliæ spirituales , aliæ externæ , corporales ac temporanæ sunt , aliæ , quæ dissolutionem ac destructionem huius mundi sequentur.

¶ De actionibus Dei ante mun-  
dum conditum.

Etsi mens humana in mundo condita, ultra eum  
aciem suam extendere non potest, tamen quæ scri-  
ptura sancta de illis rebus eternis patefacit, simpli-  
ci fide, pectoreq; amplecti & uenerari debet. Sic  
est ex ore Dei reuelatum & indicatum, quod ante  
huius mundi initium, Pater Filium genuerit, ita  
quidem, ut Filius sit coæternus, sit coëssentialis Pa-  
tri, sit Deus uerus de Deo uero, unicus ac uerus De-  
us cum Patre & Spiritu sancto, non minor neq; po-  
sterior Patre, essentia sua diuina, ut Ariani bla-  
phemè delirarunt. De hac re docet Psal. 2. Ego ho-  
die genui te, & Iohan. 1. Unigenitus filius dicitur.  
Verum hanc Dei generationem nemo hominum uel  
Angelorum, perscrutari ulla excellentia, aut ui in-  
genij potest. Satis est quod scimus & credimus, se-  
cundam personam diuinitatis, esse unigenitum Fili-  
um Patris: tantum enim nos scire Deus ipse uoluit,  
& ceterus est articulus fidei, sed quomodo id sit fa-  
ctum, nostrum sanè captum quam longissime exce-  
dit, neq; est nobis expressè reuelatum. Coniecturæ  
autem cōparationesq; nostræ, à rebus creatis ad cre-  
atorem translatæ, ut non concordant, ita eis fiden-  
dum non est.

Deinde, Elegit nos Deus per Christum, ut E-  
phes. 1. Paulus inquit, Elegit nos per ipsum, ante  
constit

constitutionem mundi. Admirandum sane decre-  
tum. Hinc licet coniçere, Deum ante rerum crea-  
tionem, omnipotenti et immensa sua sapientia de-  
condendo mundo et homine cogitasse, præuidisse  
hominis lapsum, et in consultatione sua arcana sta-  
tuisse, quod per Filium tantum lapsum corrigere  
uellet. Verum ista scrupulosus rimari non possumus  
neque debemus. Retrahat igitur se pia mens, ne dum  
nimis sublimia inuestigat, alicubi fæde impingat.  
Satis est, nos ista ex uerbo tradito scire, decretū de  
hominis redēptione et salute, factū ante creationē  
rerū, id quod Dei philanthropiā et immēsam erga  
nos charitatem celebrat et commendat, docet eti-  
am, hominem non suis operibus, sed gratuita misē-  
ricordia per Christum accipi, iustificari, saluari. Se-  
quitur autem porrò ex ista patefactione, in decre-  
to illo cœlesti, filium Dei promisisse, quod esset futu-  
rus uictima, carne humana assumpta. Nam id ipsum  
in Paradiſo reuelatur.

**A**ctiones Dei in mundo.

Primum, actiones generales sunt, quod hunc am-  
plissimum mundum cum omnibus creaturis, solo  
uerbo condidit, ut Psalmus 33. inquit, Ipse dixit et  
facta sunt, ipse mandauit et creata sunt. In primis  
uerò in hoc toto opificio, rationales creature, ho-  
mines nimirum et angelos, spiritu uitæ et imagi-  
ne sua exornauit, ut haberet in hac pulcherrima

& ornatiſima domo cultores.

Iuxta hanc generalē actionem, Deus est ubiq;  
resq; omnes sustēt, nutrit, auget, ut in ueteri uer-  
su dicitur, Enter, præsenter, Deus est & ubique po-  
tenter. Hebr. 1. Fert omnia uerbo potentiae suæ. Cre-  
at igitur & gubernat adhuc hodie omnes res. Act.  
17. In ipso uiuimus, mouemur & sumus.

Excitat, ordinat & cōseruat Magistratus in ge-  
nere humano. Daniel. cap. 2. constituit & transfert  
regna. Proverb. 8. Per me reges regnant.

Ad generalem Dei actionē pertinet, quod uult  
aliquam disciplinam, etiam inter gētes obseruari,  
iuxta legem naturæ, & quæ ex ea bona consequen-  
tia extruuntur. Benefacit politicè iustis, ad suppli-  
cium & pœnas rapit tyrānos & sceleratos affigit  
eos peste, bellis, fame, repentinis casib; . Idem  
latras permittit in reprobum sensum ferri . Ro-  
man. 1.

Præter basce actiones, habet Deus etiam ſpecia-  
les quasdam actiones, quæ genus humanum con-  
cernunt, ac poſſunt iſta quoque diuidi in eas, quæ  
ad omnes, & quæ tantum ad Ecclesiam seu crea-  
dentes pertinent, item quædam ſunt ſpirituaſes,  
quædam corporales:

Ad omnes homines iſta Dei actiones per-  
tinent, quod reuelauit uoluntatem ſuam de redem-  
ptione generis humani, ut omnes homines eam ſci-  
gent.

rent, idque fecit primum in Paradiso, deinde Patriarcharum & Prophetarum seculis, eam uocem repetiuit, ut semper ille sonus de uoluntate Dei, in mundo extaret. Addidit quoque evidentia & lucis lentiſſima testimonia & confirmationes suo uerbo, nempe ipsa Sacra mentorum patefactio, propagatio, repurgatio, illustratio, est ſpecialis actio Dei, quò ad homines, & eos quidem uniuersos. Huc pertinet & uocatio omnium hominum per ministerium Verbi. Vult enim Deus omnes homines saluos fieri, & Christus diſerte præcipit, ut Apostoli in totum orbem egrediantur, omniq; creature annuncient salutare Evangelium.

Tale opus Dei ſpeciale, quò ad homines, & uniuerſale quò ad totum genus humanum, eſt redemptio totius generis humani, facta per Filium Dei, assumpta natura humana, ſicut Baptista concionatur, In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Sicut igitur promiſſio de uenturo Meſſia, eſt uniuerſalis, ita etiam eius redemptio eſt commune bonum.

Item huc pertinet generalis reuocatio omnium hominum in nouiſimo die, & iudicium ſuper omnes.

Speciales uero actiones Dei, & externe, item corporales, quò ad homines, ſed non ad omnes, cenſeri

censeri debent, alligatio promissionis de Semine ad familiam Abrahæ & David. Sacerdotij externi & quarundam ceremoniarum, ac politiae ratio in populo Iudaico. Nam ea omnia debebant omnes gentes commonefacere, ut ad hunc populum animos oculosq; dirigerent, ubi Messias esset nasciturus, docturus, passurus. Porro ad has actiones pertinent, quæ peculiariter sunt in Ecclesia Dei.

Actiones speciales Dei, quæ spirituales dici possunt, sunt ista miranda & salutaria Dei opera in Ecclesia, Excitatio salutarium doctorum, quos uarijs donis, ad docendum & ministerij gubernationem instruit & ornat Deus. Eph. 4. Quod igitur quædā regiones, ciuitates, pagi, habet fidos, constates, doctos & excellentes pastores, pro maximo Dei dono reputetur. Etsi autem ipse personæ sunt res externæ, tamen & dona, & ipsa administratio Ecclesiæ, recte inter res spirituales recèsentur.

Item repurgatio & illustratio doctrinæ, quæ subinde tenebris uariarum corruptelarum obuoluntur per diabolum, & eius organa.

Regeneratio, donatio iusticie & remissionis peccatorum, donatio spiritus sancti, fidei accensio, & uniuersa inchoatio nouæ uitæ, lucis, motuum uorum ac spiritualium, confessio & constantia in afflictionibus &c. peculiares Dei actiones sunt in sua Ecclesia, hoc est, in eo loco, ubi uox Euangeli*incorruptæ*

incorruptè sonat & traditur , sacramenta rite & legitime iuxta ipsius Christi institutionem usur= pantur.Rom. 1. Euangelium est potentia Dei, ad sa= lutem omni credenti.i. Cor. 1. Placuit Deo per stul= tam prædicationem saluos facere credentes . Tit. 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis:

Inhabitatio Dei in credentibus Iohan. 14: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus.Rom. 8. Accépistis spiritum ad= optionis filiorum Dei. Eph. 1. Credentes signati es= tis spiritu promissionis sancto , qui est pignus hære= ditatis nostræ.i. Corinth. 3. Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in uobis.

Gaudium, pax conscientiæ , inuocatio, Roman. 5. Placidus ex hac uita discessus.

Iam quoq; post ascensionem in cœlos , Christus est Mediator & Pontifex inter Deum & homines, audit gemitus & uota piorum , contrâ autem im= piorum preces auersatur.i. Timot. 2. Unus Media= tor Dei & hominum, homo Christus Iesus.Iohan. 9: Deus peccatores non exaudit.

Reuelatio Antichristi , ac tandem eius destru= atio. 2. Thess. 2.

Diabolo in hoc seculo frena iniicit Deus, ne om= nes obsideat, neue omnia corrumpat & perdat.

Glorificatio piorum in nouissimo die , spiritua=

lis & corporalis, & traductio in uitam æternam.  
Item, Damnatio impiorum. Matth. 25.

Actiones quedam Dei speciales Ecclesiæ Dei,  
sed externæ sunt, inflammatio uictimarum à Patri-  
bus oblatarū, miraculose liberationes, defensiones,  
benedictiones piorum, eductio ex Aegypto, rubri  
maris, & Iordanis scissio & quasi cōsolidatio, man-  
na destillatio, hostium profligatio & pœna, muta-  
tio aquæ in uinum, sanatio ægrotorum, resuscita-  
tio Lazari & aliorum mortuorū. Et quid opus est  
longa enumeratione, tota scriptura plena est tali-  
bus Dei actionibus, & Ecclesia uera omnibus tem-  
poribus plurima eius generis experitur.

In his actionibus Deus non est Stoicæ necessitati  
alligatus, sed liberè & potenter, pro sua uolunta-  
te, & necessitate Ecclesiæ, agit, & facit quæ uult.

¶ Actiones Dei post mundi de-  
structionem.

Etsi nemo hominum potest explicare, qualis  
hoc mundo destruncto, status in æternum sit secutu-  
rus, tamen hoc certum est, piis in perpetuum cum  
Christo futuros. 1. Thess. 4. Et Deum futurum esse  
omnia in omnibus, 1. Corinth. 15. Gubernabit igitur  
Deus Angelos & homines letitia uera, æternisq;  
bonis complebit, impios uero homines, cū diabolis  
sine fine horrendis pœnis subiicit. Matth. 25.

Consideratio autem tantarum rerum, excitet  
hominum

hominum mentes, ut de seria & matura conuersione cogitent, agnoscant Deum, petant ab eo spiritualia & corporalia, huius & æternæ uitæ bona, moderentur rectè actiones uitæ, pro acceptis beneficijs gratias agant, & in ærumnis multiplicibus & grauissimis huius miseræ uitæ, sperent uitam æternam, quæ iucundissimum & exoptatissimum pijs omnibus portum, absque ullo dubio præbebit.

## DECIMO.

## DE COMPOSITIS.

## I.

DE GENERATIONE  
FILII DEI.

**E**xposita simplici ac certa doctrina de Filio Dei, commonefacti uncula quædam hoc loco inserenda est, de quæstione, An Pater cœlestis sese ipsum intuendo & cogitando, imaginem suis ipsius formet, cui cogitatæ imagini, suam essentiam communicet, quæ sit filius, sicq; cogitatione imaginis suæ, filius ex Patre generetur: ut moneatur studiosi, ne incerta pro certis amplectantur aut desendant. Semperq; hoc axioma firmo pectore retineat, De Deo nō esse aliter sentiendū uel docēdū, q; sicut se certo uerbo patefecit. Origenes dixit, periculorum esse de Deo etiam uera dicere. Voluit autem quasi frenz

frena curiosis ingenijis iniucere, ne ultra reuelata de Deo doctrinam exorbitent, sed de patefactis etiam articulis, prudenter & in timore Domini disserant.

Respondemus autem ad quæstionem. Articuli fidei, quod supra aliquoties monuimus, ab opinioribus, ijsq; omnibus, quæ non sunt reuelata in authenticis libris sacræ scripturæ, prudenter discernendi sunt.

In doctrina de Filio Dei, Articuli Fidei sunt:

Quod secunda persona Trinitatis seu diuinitatis, sit filius.

Quod is sit filius patris, non spiritus sancti, neque suijpsius.

Quod sit genitus à patre.

Quod sit genitus de substantia patris, non ex nihilo.

Quod ab æterno sit genitus à patre Psal. 2. Et non tunc primum, cum iam esset Deus creaturus cœlum & terram, ut Alexander Antiochenus, Lactanius & alij dixerunt.

Quod sit unigenitus à patre, Iohann. i. non adoptivus. Nos enim adoptione filii sumus.

Quod filius Dei sit ὑπὸ σχετικῶν distincta, non ipsis Pater, non spiritus sanctus, essentia tamen unus Deus cum Patre & Spiritu sancto.

Quod sit coomnipotens Patri & Spiritui sancto:

Quod

Quod sit coomnipotens Patri & Spiritui sancto. Iohann. 5 non minor potentia, quod ad diuinitatem, cæteris personis.

Quod filius Dei, à Iohanne dicatur λόγος.

Quod λόγος, ibi substantiam significet, non cogitationem aut repræsentationem Patris, ut Samo satenus & alij nugati sunt, &c.

Hæc & similia sunt indubitata, quia reuelata sunt, eamq; ob causam firmo pectore credenda.

At filium Dei, non alia ratione genitum esse à Patre, q; ex cogitata imagine sui ipsius, quod nimirum Deus Pater se ipsum contemplatus sit, et contemplando imaginem de se abstraxerit, illiq; imaginis essentiam suam donarit, ille ipse modus generationis diuinæ inquam, est opinio humana incerta, dubia & periculosa,

¶ Rationes sunt.

1. Quia iste modus generationis diuinæ, non est in sacris literis perspicue à Deo reuelatus & traditus. Ideo nequaquam est articulus fidei.

2. Post Prophetas & Apostolos, non sic docuit Ecclesia Christi primis illis temporibus. Nam omnes Patres, etiamsi alijs non carent suis quibusdam stipulis & næuis, tamen uno ore de hoc punto profisi sunt generationem filij Dei ex Patre, ineffabilem, inenarrabilem, imperscrutabilem esse. Tatum uero unum aut alterum testimonium adscribemus.

114 De generatione Filij.

Cyprianus in expositione symboli ait, Credēdus est ergo, Deus Pater esse unici filij sui Domini nostri, non discutiēdus. Neq; enim fūs est seruo, de naturalibus Domini disputare. Tertullianus de Trinitate inquit. Cuius sacræ et diuinæ nativitatis arcana, nec Apostolus didicit, nec prophetes cōperit, nec angelus sciuit, nec creatura cognouit, filio sola nota sunt, qui Patris secreta cognouit.

Ambrosius lib. 1. de fide ad Gratianū ca. 5. Quæro abs te, quando aut quomodo filium putas esse generatū? Mihi enim impossibile est generationis scire secretum. Mens deficit, uox filet, non mea tantum, sed & angelorum, supra potestates, supra angelos, supra Cherubim, supra Seraphim, supra omnem sensum. Si pax Christi supra omnē sensum est, quomodo non est supra omnem sensum tāta genera-  
tio? Tu quoq; manum ori admoue, scrutari nō licet superna mysteria. Licet scire q, natus sit, non licet discutere quomodo natus sit. Illud negare mihi non licet, hoc querere metus est. Nam si Paulus ea quæ audiuit, raptus in tertium cælum, ineffabilia dicit, quomodo nos exprimere possumus paternæ generationis arcanum, quod nec sentire potuimus, nec audire. Quid te ista quæstionū tormenta delectant? Incomprehēsibiliter generatur filius, impassibiliter generat Pater, & tamen ex se generauit, & ante omnem intellectū generauit Deus uerus Deū uerū Ephrem

Ephrē in libro de scrutatorib. naturæ filij Dei, Si  
scrutari pergas substantiā Medici , curiositati tuæ  
nullus aditus , nullus transitus , nullus exitus patet.  
Breuiter oēs Patres quoties in eum articulum de  
æterna generatione filij Dei incidūt , solent citare  
dictū Esaiæ, Generationem eius quis enarrabit?

Lutherus cūm alibi, tum in sermone de Trinitatē,  
graui ter in hanc temeritatem inuehitur.

3. Irenaeus istam curiositatem Valentino & eius  
asseclis aperte tribuit, quod docuerint, λόγοι seu  
filium Dei Euthymesi, id est, cogitatione gigni, grā  
uiterq; cum errorē refutat, lib 2. cap. 47. Inter alias  
hæc sunt eius uarba: Generationem eius inenarrabi-  
lem existentem , nemo nouit , non Valentinus, non  
Marcion, neq; Saturninus, neq; Basilides , neq; an-  
geli, neq; archangeli, neq; principes, neq; potesta-  
tes, nisi solus qui generauit Pater, & qui natus est  
filius. Inenarrabilis itaq; generatio eius cūm sit, qui  
cunq; nituntur generationes & prolationes enar-  
rare, non sunt compotes sui, ea quæ inenarrabilia  
sunt, enarrare promittentes, &c.

4. Hæc curiositas etiam Stenckfeldio, & alijs fa-  
naticis hominibus præbet occasiōē, ut similiter es-  
sentiale cogitationem & formationem imaginum  
de se, etiam cæteris diuinitatis personis tribuant.  
(Sunt enim ipsæ quoq; intelligētes personæ) & uel  
deorū imaginatione genitorū infinitum numerum

118 De generatione Filij.

producant, uel personas confundant.

5. Comparationes à creaturis sumptae, & collatæ ad mysterium essentiae diuinæ, nihil probant, immo etiam parum illustrant, præsertim in rebus non reuelatis.

6. Filius Dei manifestè retrahit Philippum, arcanum Dei scrutantem. Iohann. 14. Philippe, inquit, qui uidet me, uidet Patrem. In hisce metis uult nos consistere, nec admouere scalam cælo, & in ipsum Deum ascendere, atq; explorare, quomodo se habeat generatio diuina.

Primum de hæc opinio incerta & periculosa est, neq; pro articulo fidei uenditanda, & contra pietatem est, in proprias definitiones Dei eā, tanquam omnino certā, citra omnē protestationem, q̄ sit humana fantasia aut opinio, inserere atq; inculcare.

¶ Obiectiones.

I.

λόγος est character seu imago mentis, quæ cogitatione gignitur.

Filius Dei dicitur Logos.

Ergo Filius Dei est imago mentis paternæ, & cogitatione nascitur.

R. Est amphibologia. Maior de uerbo nostri oris loquitur, quod est nota mentis. Minor uero de λόγῳ τοῦ θεοῦ, qui alia ratione λόγος dicitur, nimirum, quia ipse enarrat nobis ea, quæ in sinu Patris

# De generatione Filij.

117

Patris sunt, quæq; nos scire refert. Iohan. i. Ideoq;  
λόγος dicitur quasi λέρων aut Doctor hominum,  
qua de re supra dictū est. Dis similitudo igitur Ma-  
ioris & Minoris, diligenter obseruetur. Nota eti-  
am regula est, In comparationibus, principalis in-  
tentio spectanda & obseruanda est. Non enim con-  
gruunt omnia membra.

Argumentum hoc : Lopus est animal quadru-  
pes. Tyrannus est Lopus. Ergo Tyrannus est ani-  
mal quadrupes, pueri hoc modo soluunt, Mutato  
genere prædicationis, non ualeat consequentia. Ed-  
dem uero ratio est in obiectione superiori.

2.

Imago formatur cogitatione mentis.

Filius Dei dicitur imago Patris. Colos. i.

Ergo Filius Dei cogitatione Patris nascitur.

R. Sunt quatuor termini. Aliter imago in Ma-  
iori, aliter in minori accipitur. In Maiori recte id  
affirmatur, de actionibus mentium humanarum,  
quæ ita conditæ sunt, ut res quasdam mirabiliter  
sanè & inexplicabiliter pingant, ut cogitans pa-  
rentem suum, imaginem eius in mente concipit &  
format. In minori uero dicitur de imagine crea-  
toris, quæ est coessentialis & coæterna Patri. Est igi-  
tur dis similitudo manifesta. Deinde Imago Dei  
Christus dicitur, quia per filium sese Deus reuelare  
uoluit, hunc uult cognosci, & per hunc sese inuoca-

I 3 ri,

ri, & non propter eam causam, quia tali ratione, modoq; generetur. Antiqua Ecclesia, hæc ipsa modestissimè tantum proferre uoluit, & exponere si ne ullo dubio, hisce uerbis, Lumen de lumine, nihil de imaginibus in cerebro hominis philosophari uoluit. Summa rei est, Filius Dei dicitur imago Dei, ratione reuelationis, non ratione generationis diuinæ, cuius quidē modus aut ratio nō est patefacta.

Porrò liberi humani, interdum dicuntur imagines parentum in communi sermone, quia & faciem & uirtutes parentū repræsentant. Non igitur vox imago, semper eodem modo accipitur.

## 3.

Quidam Patres eam expositionem protulerunt. R. Id uero satis manifestè demonstrari non potest. Etsi enim quædam uerba, ex ipsis magna diligentia excerpuntur, quæ uidentur curiosis ingenijs patrocinari, tamen nequaquam dixerunt, quod Pater sese intuendo genuerit filium, nusquam dicunt, quod filius contemplatione Patris, & formatione suæ imaginis sit genitus, immo studiose & sollicitè monuerunt, ne quis sese in scrutationem generationis diuinæ, tanquam in abyssum inexhaustam temere, & cum damno præsentissimo immergat.

Loci, quos citant Scrutatores generationis diuinæ, sunt:

1. Basilius in sermone, super In principio scribit.

CUR

Cur uerbum? ut ostendatur quòd ex mente processit. Cur uerbum? quia citra affectionem aut passionem natus est. Cur uerbum? quia imago est genitoris, totum in seipso genitorem ostendens.

R. Audio hic tantum hominem, proferentem suas cogitationes, non os Dei, quod articulos fidei solidè confirmat: Secundò Basilius non dicit, filium intuendo uel cogitando nasci à Patre. Tertiò ipse metit Basilius, per instantiam se declarat, in oratione de martyre Manante: Ne, inquit, mihi modos generationis proferas, neque ipse à me exigas, neque sub causarum rationem contrahere ea, quæ nulli causarum rationi subiacent. Item in Oratione de Christi generatione in die natali. Ne dicas, inquit, quando? Sed negligas hanc questionē. Ne quæras quomodo? Est enim hic impossibilis responsio! Nam quando tempus habet. Quomodo uero ad modos corporeos imaginationem quandam.

2. Gregorius Nazianzenus: Filius dicitur λόγος Verbum, quia ita se habet ad Patrem, sicut Verbum ad mentem, non tantum quia mens patiens Verbum, nihil patitur, sed etiam quia perpetuo coniunctus est Patri, et quia nobis eius uoluntatem indicat.

R. Et hoc testimonium est conjectura hominis, non oraculum diuinum. Deinde non dicit Nazianzenus, Filium Dei contemplando

aut cogitatione Patris nasci, imò exponit suam sententiam, de quibus partibus hanc comparationem uelit intelligi. Et expresse de Theologia lib. 3. sic inquit, Quomodo itaq; generatus est? Nam toties eandem cantilenam, non sine molestia cano. Dei generatio silentio est colenda, & scire quod generatus sit, didicisse te, magnum quiddam fuerit. Verum quomodo sit generatus, nosse ne angelis quidem ipsis, nedum tibi datum esse concessero. Porrò si ab isto tuo quomodo, nisi responso accepto, discedere non potes, respondeo, Sic generatum esse, ut nouit & qui genuit Pater, & qui genitus est filius. Quod uero bis excelsius est, hoc nebula tegitur, ut ingenui tui cæcutientes oculos facile effugiat.

Citantur etiam quædam mutilata uerba ex Augustino, quæ cum ex nullo eius autentico libro profiri possint, eadem facilitate contemnuntur, qua adducuntur. In sermone decimo de tempore inquit, Nec queratur quomodo genuit filium, quod & An geli nesciunt, Prophetis est incognitum, Vnde illud dictum est, Generationem eius quis enarrabit.

Est igitur & manet opinio incerta, & satis periculosa, quod filius Dei intuitione Patris & cogitatione generetur, neq; haberi potest in Ecclesia Christi pro fidei articulo. Eamq; ob causam sine protestatione expressa & bene longa, solidissimæ doctrinæ de sacrosancta Trinitate ea inseri non debet.

## II.

¶ Regulæ seu commonefactiones de  
prædicationibus & phrasibus  
quibusdam de Deo in sa-  
cris literis.

**V**TILE est commonefieri studiosos de prædicationibus quibusdam de Deo, quæ in sacris literis occurrunt, ut incommodas sententias, quas inde monstrosa ingenua gignunt, iudicare & uitare queant, & simplicem ac planam de Deo doctrinam retineant & tueantur.

## DE DEO IN GENERE.

## I.

Quædam de Deo collectiū dicuntur, id est, totam Trinitatem includunt, ut Deus est, qui operatur in uobis uelle & perficere. Quædam uero de personis dicuntur iuxta certas proprietates, de quibus suprà dictum est, ut Ego hodie genui te.

## 2.

Quædam de Deo per synecdochen dicuntur, ut quod Pater uel Filius creabit mundum. Non enim excluduntur cæteræ diuinitatis personæ ex hoc opere.

## 3:

Quædam per similitudinem de Deo dicuntur, ut Oculi Domini super iustos. Nam Deus non habet oculos ut homines, sed per similitudinem de-

effectu, hoc est, cura, fauore, defensiōe Dei, propter nostrum captum, sic loquitur scriptura.

4.

Quædam relatiuè dicuntur, ut Pater, filius. Nā filius respectu Patris dicitur. Spiritus uero procedens respectu Patris & Filij.

5.

Augustini regula nota est, Opera Trinitatis ad intra sunt diuisa, ad extra uero indiuisa, seruata tamen cuiuslibet personæ proprietate.

6.

Quædam de effectu Dei, quædum de permissione dicuntur, ut Deus indurauit cor Pharaonis, hoc est, permisit indurari.

7.

Quædam dicta de Deo non actiue, sed passiuè, hoc est, respectu applicationis ad nos intelligenda sunt, ut 2. Corint. 5. Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis fecit peccatum, ut nos efficeremur iusticia Dei in ipso. Hic Dei iusticia nō significat actiue sensu essentialiter, uidelicet illam iusticiam, qua Deus ipse essentialiter iustus est, Sed passiuè, hoc est, iusticiam quam Deus nobis donat, et nos iustos coram se facit, id est, imputationem obedientiae legis, quam Christus pro nobis præstítit Rom. 8. Ita charitas Dei plerunq; passiuè, hoc est, qua Deus nos diligit, accipitur Rom. 5.

8. Quædam

8:

*Quædam formæ prædicationis deo receptæ sunt, quædam reprobatae.*

*¶ Receptæ sunt.*

*Deus est unus, Deus est trinus, Vna est essentia diuina, & tres uero sunt seu personæ distinctæ, & e contrario. In diuinitate sunt tres personæ. Tres personæ diuinitatis sunt unus Deus: Vnus Deus est Pater, Filius, Spiritus sanctus, & econtra Pater, Filius & Spiritus sanctus sunt unum. Alius est Pater, aliud est Filius, aliud est Spiritus sanctus, scilicet quo ad personas, Sed hi tres unum sunt.*

*¶ Reprobatae sunt.*

*Deus est triplex uel multiplex, Tres sunt essentie, Tres sunt Dij, Solus Pater est Deus, Aliud est Pater, aliud est Filius, aliud est Spiritus sanctus.*

### PRAEDICATIONES DE FELIO DEI.

#### I.

*Quædam de Filio Dei dicuntur ab æterno, & ante incarnationem, quædam uero ratione incarnationis futuræ seu factæ, deniq; quædam ratione glorificationis & regni, uel ante uel post resurrectionem & ascensionem.*

#### 2.

*Quædam de substantia filij, quædam de officio*

cio eius loquuntur, ut, Pater maior me est, non de substantia diuina, sed de officio dicitur, quia homo factus erat sese humilians, ut nos homines Deo reconciliaret. Ego & Pater unum sumus, de substantia dicitur.

## 3.

Quædam per communicationem idiomatum intelligenda sunt. Sed hec docendi gratia paululum euoluenda sunt.

Idioma significat proprietatem naturæ cuidam conuenientem.

Communicatione idiomatum, quæ ab alijs ἀλλοῖσις et ἀντίστοιχοι vocatur, significat, quādo proprietas unius naturæ conueniens, tribuitur personæ, id est, Christo in concreto propter unionem duarū naturarum in ipso hypostaticam, quæ fons est istius phraseos. Habet autem ea phrasis suas quasdam variationes.

Interdum quod unius naturæ proprium est, tribuitur personæ. Ut Christus est passus, mortuus, resuscitatus. Etsi enim pati, mori, reuiuiscere, tantum naturæ humanæ, non diuinæ propria sunt, tamen personæ Christi tribuuntur propter unionem hypostaticam.

Interdum fit quasi transpositio aut permutatio quædam, ut proprietas alterius naturæ conueniens tribuatur alteri, cui nomen est conueniens, propter eandem

eandem unionem hypostaticam, ut Deus est natus ex uirgine Maria. Deus est passus, mortuus, resurrexit. Etsi enim ea tantum naturæ humanæ conueniunt, tamen quia Christus est in una persona uerus Deus & homo, ideo scriptura sic loquitur.

Interdum per synecdochen mentione unius naturæ comprehenditur & altera, propter unionē hypostaticam, ut, Filius hominis ueniet in maiestate sua. Item, Venit Filius hominis querere & saluare quod perierat. Nam ista utriq; naturæ in Christo conueniunt.

## 4.

Quædam forme prædicationis de Christo receperunt, quædam reprobatae.

Receptæ sunt.

Verbum caro factum est, Verbum factum est homo, Deus cœpit esse homo. Deus est homo, Verbum est homo, Christus est Deus, Christus est uerus homo, Christus est uerus Deus & uerus homo. Deus natus est ex Virgine. Due naturæ in Christo unitæ sunt in una persona.

Rerprobatae sunt:

Natura diuina est humana. Diuinitas facta est humanitas, uel econtra. Verbum est creatura, Christus est creatura, Diuinitas transit in humanitatem Christi uel contra. Due naturæ confusa sunt in Christo, &c.

## 5. Quædam

5.

*Quædam in usitatè prædicantur de Christo, quæ uera sunt propter reuelationem diuinam, ut Verbum caro factum est. Filius Dei & homo sunt una persona in Christo. Hic duo disparata coniunguntur, ut si dices Ovis est aquila.*

6.

*Quædam de humiliato Christo loquuntur, quædam de regnante, ut Deus Deus meus, quare me reliquisti. Vox est Christi patientis propter totius mundi peccata. Pater usque modo operatur, & ego operor, Vox regnantis est pari potentia cum Patre & spiritu sancto.*

### DE SPIRITU SANCTO.

*Receptæ formæ loquèdi de Spiritu sancto sunt, spiritum sanctum procedere de Patre & Filio. Spiritum sanctum effundi ac mitti à Patre & Filio. Reiectæ sunt, spiritum sanctum de solo Patre procedere. Spiritum sanctum esse natum, esse creaturæ &c.*

III.

### ¶ Vtrum in Deo sint accidentia?

*Sobriè de tantis rebus sentiendum & loquendum esse, nemo dubitat. Retinenda igitur Ecclesiæ doctrina est, in Deo non esse Accidentia, scilicet quod ad naturam & essentiam eius attinet. Non est enim Deus ueluti creatura. Itaque sicutiam, omnipotentiam, iusticiam, & similes Dei virtutes*

virtutes Ecclesia Dei negat in Deo esse Acciden-  
tia, ut in creaturis quædam sunt. Nam Deus non  
est à quoquam, sed ab eo sunt omnia, quæcunque  
creata & facta sunt. Et non possunt italia à Deo se-  
parari citra læsionem substantiæ ipsius. Ausus iu-  
sticiam à Deo, quid de substantia Dei retinebis?

Sed tamen non sunt omnes actiones Dei, quibus  
se declarauit uerbo & factis, ipsa Dei substantia,  
ut vox Patris ex cælo sonans, Hic est Filius meus di-  
lectus, Hunc audite, non est ipsa Patris substantia:  
Sic doctrina Filij Dei, Semen mulieris conteret ca-  
put serpentis. Item, Qui credit in me, habebit ui-  
tam æternam, non est ipsa filij Dei substantia, si-  
cut fanaticus Stenckfeldus, Verbum Dei, quando  
pro doctrina accipitur, contendit esse ipsam Dei  
substantiam. Non enim sequitur, In quibusdam lo-  
cis scripturæ, ut Iohan. 1. & in alijs nonnullis, Ver-  
bum pro ipso Filio Dei substantiali accipitur. Er-  
go pañsim in omnibus locis ad eundem modum in-  
telligi debet. Rectè enim inter uerbum prolatium  
sive doctrinam, & inter uerbum substantiale, id est,  
Filiū Dei discernitur.

## III.

¶ Quid differat Ecclesiæ Dei & gentium  
doctrina de Deo. Item Iudæo-  
rum & Turcorum.

Doctrina

Doctrina gentium de Deo, ab Ecclesiæ doctrina hisce rebus potissimum differt: Primum gentes aberrant à Dei essentia, non consistentes in unitate Dei. Nam multos deos colunt, neq; possunt mysterium Trinitatis sua sagacitate indagare. Deinde uero de uoluntate Dei aberrant, quia non tantum promissionem Euangeli ignorat penitus, sed etiam interiores, et præcipue primæ tabulæ cultus non intelligunt, atq; ipsorum loco tetras blasphemias contra Deum exercent & accumulant. Tertiò doctrina gentium de Deo tantum ex deprauata & cæca hominis natura profluit, quæ est fons istorum horribilium errorum. Doctrina uero Ecclesiæ de Deo, ex ore Dei promanauit, & illustribus patesfactionibus declarata & confirmata est. Ideo David inquit, Lucerna pedibus meis Verbum tuum.

Iudæorum & Turcorum doctrina similiter aberrat primū à Dei essentia. Etsi n. unicū Deū agnoscere & colere uideri uolunt, tamen Trinitatē personarum in unitate essentiæ auersantur et damnati. Est autem immota ueritas: Deus agnosci et coli uult sicut se patescit, & non aliter. Item, Qui non honorat Filium, non honorat Patrem. Iohan. 5. Fingunt igitur sibi Deum, qui non sit Pater, non sit filius, nō sit Spiritus sanctus, hoc est, qui nusquam & nullus sit. Nam præter eum qui est trinus in personis, & unus in essentia, nullus est aliis, neque fas est ullis creaturis

creaturis sibi cogitationibus suis peculiarem Deum fabricari, qui sit alius quam ille, qui se certo verbo & apparitionibus minimè dubijs reuelauit. Deinde aberrat à Dei uolūtate, perinde ut gentiū doctrina. Nam doctrinam Euangeliū de gratuita remissione peccatorum propter meritum Filij Dei Iudei & Turci repudiant, damnant, execrantur: Tertiò Iudei abiiciunt Nouum Testamentum penitus, & ex Veteri tantum, Legis quandam cognitionem petunt, idq; tali modo, ut tantum in externum uelamen Mosis adhuc bodie intueantur, hoc est, Dei cultus interiores ac ueros iuxta legem diuinam non intelligent, planè hac etiam in parte ethnizantes. Turcæ uero confidentes sacra & profana præter particulam, quandam Legis nihil retinent.

Amemus igitur & discamus Ecclesiæ Dei doctrinam, atque oremus Deum, ut Turcicam rabiem coherceat, ne simul cum imperio, tam tetros errores in hasce etiam terras adferat & propaget.

FINIS PRIMI LIBRI.

K SECVN

SECVNDVS  
 LIBER DE NOVIS  
 ARIANIS, IN POLONIA  
 EXORTIS, Anno Do=  
 mini 1564.



IMPLICEM doctrinam  
 de Deo, simpliciter & bre=  
 uiter hacenus repetiuimus,  
 strinximus etiam quasdam  
 hæreticorū præstigias: Nūc  
 uero aliquantò accuratius,  
 labyrinthos nouorum quo=  
 rundam Arianorum excutiemus & patefaciemus,  
 illustrante & regente nos spiritu sancto. Ut autem  
 lectorē à molestia & fastidio subleuemus, Primum  
 ipsa fundamenta ueritatis, contra ipsorum falsas  
 assertiones, perspicuè, & succinctè recitabimus.  
 Deinde quoq; argumenta, detractis ipsorum fucis,  
 nudè in medium producemus, ut facilius à pijs omni  
 bus confisci, cōsiderari & dijudicari possint. Subij=  
 ciemus insuper breues solutiones, quæ pios de ner=  
 uis cœlestis ueritatis commonefacent.

In omnibus autem hæreticis, tres insignes & te-  
træ notæ, quasi stigmata quædam apparere solent,  
Primum, detestanda perplexitas rerum nouarum.  
Deinde horribilis blasphemia. Tertiò effrenis ma-  
ledicentia. Fontes uero præstigiarum illarum sunt,  
leuis ambitio, & vindictæ cupiditas, interdum eti-  
am crassa et affectata propemodum inscitia. Sic no-  
ui Ariani, qui in Polonia iam recens exorti sunt, et  
quorum sese caput & Dux profitetur quidam  
Gregorius Pauli, Minister Cracoviensis, edita mon-  
strosa tabula & Turri Babel, ex putrida ambitio-  
ne ueluti Scarabæi ex asinis mortuis pullulant. Nā  
Luthero uix minimam partem reuelationis & de-  
structionis Antichristi relinquent, nempe superio-  
ris tantum tecti in ædificio Antichristiano denuda-  
tionē. At sibi met ipsis, isti spiritus arrogant Anti-  
christi excisionē & extirpationē ab imis usq; funda-  
mentis. Gloriantur sibi longè plura à Deo esse da-  
ta, quam Lutheru aut alijs. In hæresi uero traden-  
da, tam sunt intricati, obscuri, uariabiles, ut ma-  
gna attentione adhibita, diuinare uix queas, quid-  
nam asseuerare conentur. In blasphemij porrò ef-  
futiendis, planè effrontes sunt. Maledicta quoque  
ideo cumulate & liuidè effundunt, ut existimes  
eos meritis uiperinis linguis pungere.

Tres autem habent isti recentes Ariani hy-  
potheses, sicuti ex tabula ipsorum monstrosa,

ex Turri Babel, quam constant, & ex epistola ad Tigurinos scripta, & ex reliquis ipsorum libris, colligitur.

## I.

Tres esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum, sed non esse tres personas.

## II.

Vnam esse Naturam seu Deitatem, communem tribus illis, sed non esse unam Essentiam.

## III.

Vnum esse Deum, sed tantum Patrem dici unicum & uerum Deum, Filium uero & Spiritum sanctum, non dici unicum illum Deum.

Hinc postea nascuntur ipsis & aliæ quædam locutiones. Etsi enim fatentur, Filium Dei esse Deum ex Deo genitum, tamen nusquam dicunt, Vnicum illum Deum, esse Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & spiritum sanctum quidem nusquam Deum nominant. Hæc non obscure portendunt, quo nam isti præstigatores contendant.

DE PRIMA HYPO=  
THESI.

Dicunt esse tres, eosq; nominant Patrem, Filium & Spiritum sanctum, sed hosce contendunt non esse personas.

RATIO ISTORVM ARIA=  
norum hæc est.

*Quod*

Quod scriptura non docet, non est asseuerandum.

Sed in sacris literis nusquam leguntur hæc uera, esse tres personas, sed tantum ista, Tres sunt, qui testimonium perhibent. i. Iohan. 5.

Ergo non sunt tres personæ.

Ista quidem prima fronte apparent, quasi ex do yo ueræ nascantur, uerum longè ulterius isti Ariani procedunt. Nam cùm ipsum Patrem, unicum ac uerum duntaxat uocent Deum, nō item Filium, neq; Spiritum sanctum unâ cum Patre, ideo res etiam ipsas, quæ de personis istis traduntur, impugnant, sicut paulò pòst annotabimus. Sed ad argumentum respondeo.

Maior loquitur de rebus. Minor uero de uerbis. Ideo sunt quatuor termini. Ad res enim eius doctrinæ, quam de sua essentia & uoluntate Deus revelauit, nos alligati sumus. Gal. 1. Si quis aliud Evangelium docuerit, id est, doctrinam pugnantem cum hoc unico fundamento, sit Anathema. De uerbis uero dicitur, ut sint analoga fidei, Ro. 12. Nam ad institutionem rudiorum, & ad confutationem præstigiatorum, licitum est aptis & intelligibilibus uerbis ac sententijs uti, modo istæ locutiones non mutent res ipsas, in sacris literis prescriptas & traditas.

Ad Minorem: Recte ac uerè dicitur, istos tres

K 3 esse

esse tres personas. Rationes sunt istae.

1. Quia uocabulum persona declarat, quidnam sint isti tres, nempe non umbræ, non somnia, aut cogitationes solummodo hominum inanes & euaniæ, sed uiuæ quædam substantiæ. Nam R.E.S. est generale uocabulum. Iam uero res diuidi oportet, in species quasdam suas, id quod etiam ipsa ratio dicit.

2. Quia sacræ literæ clarè docent, istos tres, nempe Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, esse tres uiuas, & subsistentes, & distinctas. Nam de Pater simul & de Filio dicitur, Tu es Filius Dei uiuentis. Ergo Pater est res uiuens ac subsistens. Filius quoque est uiuus Filius uiuentis Patris. Nam quando Petrus inquit, tu ES Filius Dei, perinde est, ac si dixisset, tu EXISTIS Filius Dei, tu es quiddam  $\psi\kappa\sigma\mu\lambda\psi\omega\eta$ , quod est filius Dei. Non es umbra Dei, non cogitatio euanescentis, sed existens filius Dei. Pater genuit Filium, Ergo Pater est quiddam existens. Filius genitus à Patre, non est somnium Patris, sed tale  $\psi\kappa\sigma\mu\lambda\psi\omega\eta$ , quod mittitur in mundum, induit carnem humanam, redimit genus humanum. Spiritus sanctus specie columbae descendit, arguit & docet mundum. Ergo Spiritus sanctus est existens quiddam, uiuum & efficax, neque est figuratum quoddam, sine subsistentia quadam.

Sed

Sed persona in hac doctrina, nihil aliud significat, quam substantiam individuam, intelligentem, incommunicabilem. Pater enim non est Filius, neque Spiritus sanctus, Et Filius non est Pater, nec Spiritus sanctus. Denique Spiritus sanctus, non est Pater nec Filius, Sed sunt tres res uerè subsistentes. Huc pertinent et reliquæ actiones trium istarum personarum, quæ idem euincunt. Proinde, uocabulum personæ non mutat rem ipsam, uerum cum ipsa re uerè ac propriè congruit.

3. Quia propter captum rudiorum, licet uti uocabulis notis et receptis, cum rebus ipsis tamen, uti dictum est, congruentibus, ne homines sibi talia fingant, quæ sunt contra scripturam. Sed uocabulum personæ uel substantiæ, notum est hominibus in Ecclesia CHRISTI ex longo et approbato usu, et congruit cum rebus traditis in uerbo Dei. Ergo sic rectè loquuntur Ecclesiæ Doctores.

4. Quia ad confutandos hæreticos, licitum est uti uocabulis, quæ rebus ipsis conueniunt. Ecclesia igitur uocabulum Personæ recepit et usurpauit, quando aduersus Simonianos, Arium, Sabellium, Samosatenum, et similes præstigiatores, confundentes personas, uel alioqui eas abolentes, uera doctrina in uerbo Dei tradita, fuit propugnanda. Sic et rectè Augustinus inquit: Licuit loquendi et di-

ſputandi NECESSITATE dicere , tres esse personas, non quia scriptura dicit, sed quia scriptura non contradicit. Græci dixerunt initio tres esse hypostases, id est, substantias, uerum postea imitati sunt Latinos, nihil de rebus ipsis mutantes, licet uerba quædam uariarent.

Debebant igitur noui Ariani primum ostendere, quod uocabulum personæ non congrueret rebus istis diuinis, in uerbo Dei traditis, priusquam illud exploderent tanta austерitate & uehementia.

Deinde debebant prius monstrare conuenientius uocabulum, quam illud quod receptum & usitatum est in Ecclesia Dei multis iam seculis, abolerent.

Tertio, si qui sceleratè abuterentur uocabulo personæ, ut Seruetus & alij, non debebat id Ecclesia Christi rectè loquenti, esse fraudi.

Quartò, propter uocabulorum discrepantiam, quæ quidem non sunt à rebus ipsis aliena , non est ipsa doctrina funditus conuellenda aut condemnanda. Nam isti Ariani negat tres esse personas Si iam de uocabulo tantum disceptant, cur doctrinam ab̄ iiciunt?

Cum igitur negent esse tres personas, id est, res subsistentes, uiuas, efficaces, non confusas, suum errorē produnt, quod à doctrina Verbi diuini, quā recte profitetur & tuetur Ecclesia Christi, ab Antichristi

Nichristi delirijs repurgata , turpiter & manifestè deficiant : Explicant igitur se clariss , cur negent tres  $\wp\pi o\sigma\alpha\sigma$  sive personas ? Et dicant plane & dilucidè , quidnā sint illi tres , cùm personæ non sint ? Non enim satis est dicere , quòd hi tres sint Pater , Filius & Spiritus sanctus , Quæritur enim quales sint res , an sint umbræ tantum , uel cogitationes quædam , an uero substantiæ ? Ineptum est uocisera- ri , sunt tres & semper tres , nec definire quidnam sint ? Si negas personas esse tres , simul nega esse tres res .

Neq; nuper adeò hoc uocabulum usurpari cœ- ptum est in Ecclesia Christi . Nam antiquissimi Ec- clesiæ doctores , & substantiæ & personæ nomine usi sunt . Ut Ignatius ad Magnesianos de filio in- quirit , quòd sit  $\wp\pi\sigma\iota\kappa\gamma\mu\eta\pi\eta$  SUBLANTIA ge- nita . Loquitur enim de uerbo substanciali . Tertul- lianus ad Præcam inquit , Quæcunq; substantia ser- monis fuit , illam dico PERSONAM , & illi nomen filij uindico , & dum filium agnosco , secundum à Pa- tre defendeo . Item libro de Trinitate Filium esse se- cundam personam post Patrem contendit . Adiicit , inquit , Sumus , non sum , ut ostenderet per hoc quod dixit sumus , & Pater , duas esse personas . Cypria- nus inquit , Diuinitas & humanitas in unam perso- nam conuenerunt . Reliquorum doctorum testimo- nia in præsentia omitto , quia idli Ariani noui eam

138 Arianorum refutatio.

ob causam eos repudiant, quia contra Arium, suum parentem, preclarè & fideliter ex uerbo Dei decertarunt, & ueritatem vindicarunt, id quod obseruatione dignissimum est.

DE SECUNDA HYPOTHESI.

Vnam esse NATVRAM seu DEITATEM, communem tribus illis, sed non esse unam ESSENTIAM illorum trium, inquiunt noui Ariani.

Si rationes inquiras istius paradoxi, nullam aliam inuenies, quam quod in sacris literis non extant illæ syllabæ, ESSENTIA una. Ergo simpliciter & superstitiose decernunt, id esse Antichristi dogma.

Sed rectè & uerè dicitur, unam esse diuinam essentiam, propter hasce rationes.

i. Quia etiamsi hæ literæ, ESSENTIA, in sacra Scriptura non inueniuntur, tamen res ipsæ, quæ hoc uocabulo in Ecclesia Christi exprimuntur, sunt in sacris literis comprehensæ & traditæ. Nam sæpius repetitur hæc oratio, Ego sum Deus tuus, Dominus Deus tuus unus est, &c. Hæc dicta testantur, Deum existere. Ideo res sunt in uerbo Dei plane, Deum esse quiddam existens. Existencia autem & Essentia Dei, idem sunt. Mutanda igitur forent ista uerba, Deus est, in aliam formam, ut

ut, Deus fingitur esse, seu Deus est somnium hominum, est inane nomen, sicut Plinius ferè nugas. &c. si non Essentia quædam, ut sic dicam, existeret.

Sic dicitur Psalmo 93. A seculo tu es. Item, prima Iohann. quarto: Sicut ille est, & nos sumus. 1. Corinth. 8. Scimus, quod Idolum est NIHIL in mundo, & quod nullus EST Deus nisi unus. In hoc dicto opponuntur sibi inuicem, Idola & Deus. Deinde proprietates discernuntur. Idola sunt NIHIL, hoc est, non sunt essentiae quædam uiuæ, omnipotentes. Deus uero EST unus, id est, non est somnium humanum, ut idola, sed uera, uiua, existens essentia.

2. Quia æquipollentes locutiones, in sacris litteris extant. Nam proprium illud Dei nomen Ichoua, quod creaturis, quemadmodum aliæ appellatio[n]es Dei, nunquam adscribitur, ab esse seu essentia est deductum. Significat igitur Ichoua illum Deum, qui uerè existit, seu qui est essentia quædam æternæ. Neque est figmentum quoddam hominum, Ut apud geutes, Fortuna, Pluto, Gratiæ, &c. Item, Exod. 3. Deus ipsi Moysi suum nomen manifestat, hisce uerbis, Sum qui sum. Sic dices ad filios Israel, Sum misit me ad uos. Idem uero est, ac si dixisset, Ipsa essentia, id est, is Deus, qui existit semper, me misit.

3. Quia

140 Arianorum refutatio.

3. Quia Ecclesia uetustissima sic est locuta, ut Tertullianus aduersus Praxeam, unius substantiae, & unius status & potestatis, quia unus est Deus. Autor symboli in Cypriano dicit, Deum cum audis, substantiam intellige. Item Martialis ad Burdenses. Unius uoluntatis, unius essentiae. Quando enim de unitate Dei locuti sunt ueteres, substantiae & essentiae uocabulis, indifferenter usi sunt. Reliquorum testimonia non adscribo, quia paucim sunt obvia.

4. Quia Natura, Deitas & essentia, in hoc quidem loco de Deo, & in hoc cardine nihil differunt. Sic Nazianzenus inquit, Deus, quid tandem in sua Natura & essentia sit, hoc hominum nemo nouerit unquam, sed quod sit, hoc nemo non inuenerit. Iam quia isti noui Ariani fatentur, unam esse Naturam seu Deitatem, fateantur simul necesse est, unam esse essentiam. Si repudiant essentiae uocabulum, quia in scriptura non sint istae syllabae, primum eadem ratione repudient & sua uocabula. Nam Naturam esse unam, de Deo, nusquam dicunt sacræ literæ, hoc est, syllabus istas non habent, licet res ipsas tradant. Ita suis ipsis iaculis semetipos configunt Ariani. Deinde probent uocabulum Essentiae, non conuenire ipsis rebus, quas de Deo sacra scriptura profert atque affirmat. Tertiò perspicue et ualide demonstrant, Naturae uocabulum esse significantius

¶

¶ intelligibilius, quam Essentiæ.

5. Quia absurdissima sententia, ex ipsorum negatione nascitur. Cum enim noui isti Ariani, essentiam Dei negent, necesse est, ipsos Naturam seu deitatem absq; essentia comminisci & tradere. Quo quidem portento quid portentosius dici potest? Hec autem re ipsa tradunt, verum inuolutè et perplexè, quia ubi se magis euoluerint, monstrum hoc horrendum lucidius apparebit.

DE TERTIA HY=  
POTHESI.

Vnum esse Deum, tali quidem pacto, ut tantum Pater dicatur unicus & uerus Deus: Filium uero et Spiritum sanctum, non dici unicum & uerum Deum.

Mirum sane est, quod hoc relinquunt isti noui Ariani, unicum nempe esse Deum. Negant enim tres esse personas, negant essentiam unam esse. Quid igitur de Deo retinent? Vnum Deum faciunt, qui non sit tres personæ, hoc est, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, neq; sit unica essentia. Interea tamen contendunt esse tres, & esse unam Naturam seu Deitatem. Nec uolunt uideri λογομαχίαν quandam, sed necessariam potius pugnam de rebus ipsis, ad doctrinam de Deo pertinentibus, suscepisse.

Sed non solum Patrem esse unicum & uerum Deum, uerum tres istas personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, esse unicum et uerum Deum,

ex

I 42 Arianorum refutatio,  
ex immotis rationibus perspicuum est.

1. Quia hoc proprium, Deum esse, non tantum Patri, sed etiam filio, & spiritui sancto, in sacris litteris tribuitur. De Patre dicitur, 2. Cor. 1. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi. De filio, Iohann. 1. Verbum erat Deus. Iohann. 20. Dominus meus & Deus meus. Roman. 9. Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. De spiritu sancto. Idem uero est Deus ( loquitur de spiritu sancto ) qui operatur omnia in omnibus.

Sed non sunt tres Diij, uerum Unicus tantum & uerus Deus. Ergo hi tres, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sunt unicus & uerus Deus. Pater cum sit Deus, non est peculiariter aut solus Deus, Filius cum sit Deus, non est solus Deus. Sic spiritus sanctus cum sit Deus, non est solus Deus, sed hi tres, sunt unus Deus. Ratio huius consequentiae est, quia sacra scriptura utrumque dilucide asseuerat, primum Patrem esse Deum, Filium esse Deum, Spiritum sanctum esse Deum: Deinde, non tamen tres esse Deos, sed Unicum duntaxat Deum. Hæc autem fide accipienda, non ratione humana aestimanda sunt.

2. Quia in Veteri Testamento, & crebro etiam in nouo, non distinctis personis, dicitur, Unum esse Deum, ut Deuter. 6. Audi Israel, Dominus Deus

Deus tuus, Deus Vnus est. Esa. quadragesimo quarto. Ego sum primus & nouissimus, & præter me non est Deus. Marci 12. Vnus est Deus, & non est alius præter eum. 1. Corinth. 8. Nullus est Deus, nisi unus, &c.

In hisce sententijs uerus Deus designatur, sicuti se patefecit. Sed patefecit se in tribus personis, Patre, Filio, & Spiritu sancto.

Ergo istæ locutiones de uno Deo, synecdochice includunt tres illas, quas dixi, personas. Ille est, inquam, Vnicus Deus, qui est Pater, Filius & Spiritus sanctus. Maxima enim impietas est asseuerare, Filium uel Spiritum sanctum, non includi in hoc dicto, Deus tuus Vnus est. Deut. 6.

3. Quia Iohannes clarissime inquit 1. Epist. cap. 5. Et hi tres VNUM sunt. Tres quidem numerat, Patrem, ἀρχὴν & spiritum sanctū. Vnum uero esse pronunciat. Porro unum esse, & unum Deum esse, in hoc quidem articulo nihil differunt, quia scriptura docet unicum esse Deum.

4. Quia Christus inquit, Ego & Pater unum sumus, Iohan. 10. Personas quidem distinguit, quando inquit sumus, sed cum inquit, Vnum sumus, se cum Patre unicum esse Deum affirmat. Neque uero spiritus sanctus excluditur, quia in praesenti loco Christus hunc scopum sibi prefixum habebat, ut declararet, quid ipsem et esset. Sic Iohan. 14.

144 Arianorum refutatio.

Iohann. 14. inquit, sese in Patre esse, id est, coessentialem esse Patri.

5. Quia non tantum in uno opere omnium amplissimo, nepe in regeneratione hominis, coniunguntur Pater, Filius, & Spiritus sanctus tanquam co-omnipotentes. Sed etiam ibi uno nomine copulantur, sicut inquit Christus Matt. 28. Baptisantes eos IN NOMINE Patris, & Filii, & Spiritus sancti. IN Nomine autem, non tantum significat ex precepto & efficacia communis istorum trium, sed etiam in cognitione & fidem in hunc unicū Deum, qui in primo decalogi precepto inquit: Non habebis Deos alienos. Habet igitur hic tres, nemirum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, sed unicum nomen, in testimonium luculentissimum, quod unus sit Deus.

6. Quia unica est Deitas, sicut unus est Deus, sine omni dubitatione.

Sed isti noui Ariani ipsimet fatentur, unam esse Deitatem, communem ipsis tribus, Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

Ergo non tantum Pater habet illam Deitatem, neq; solus Deus est, sed Pater, Filius & Spiritus sanctus, est unicus & uerius ille Deus, quem sacra litterae proponunt. Suo ipsis igitur gladio sese iugulant, isti amentes Ariani.

7. Quia Filius est genitus à Patre, & eam ob causam

causam coëssentialis Patri. Nam Filius, uti dictum est, in sacris etiam literis uocatur & est Deus.

Ergo Filius cum Patre, est unicus & uerus ille Deus.

8. Quia spiritus sanctus procedit à Patre & Filio. Sed spiritus sanctus non ita procedit ex Patre & Filio, tanquam spiratio ex nostris pectoribus, quæ est tantum ardēs halitus, amorem seu affectus ex corde effundens, & mox iterum euanscens, uerū est Deus, 1. Corinth. 12. & est coëssentialis Patri & Filio.

Ergo spiritus sanctus cum Patre & Filio, est unicus & uerus ille Deus, de quo inquit Moses Deuter. 6. Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus VENVS est.

9: Quia si Filius & Spiritus sanctus, non sunt unicus Deus cum Patre, tum necesse est plures esse Deos. Nam scriptura uocat Filium Deum, & eodem modo Spiritum sanctum appellat Deum, quem admodum etiam opera diuina, & omnipotentiae propria, utrisq; attribuuntur. In quascunq; igitur species se se uertant isti Chamæleontes, necesse est ipsos tres Deos asserere.

Vel si Filius & Spiritus sanctus, non sunt reuerā unicus & uerus Deus cum Patre, tum necesse est ipsos uocem, Deus, quæ eis adscribitur, aliter interpretari, id quod audiemus & iudicabimus ex sacris

L literis.

literis. Sequetur autem, si unicus & uerus Deus tantum est Pater, & non filius & spiritus sanctus simul, tum filius non est reuera Deus. Item spiritus sanctus non est reuera Deus. Hoc pacto noui isti Arianii, ad ueterem illum Arium recurrent, ac uete res hereses, cum contumelia filij Dei & spiritus sancti, resuscitant.

FUNDAMENTORVM ARIANORVM CONFUTATIO.

Iactis hisce fundamentis pro doctrina catholica, quod Pater, Filius & Spiritus sanctus, sit Unicus & uerus Deus, de quo etiam primum Decalogi preceptum inquit, Non habebis deos alienos, nunc istorum nouorum Arianorum fulcra exploramus, quibus stabiliunt hanc suam aulam, seu potius ollam testaceam, quod non filius, non spiritus sanctus, sed solus Pater sit unicus & uerus Deus.

Argumenta, quae nascuntur ex dictis scripturarum male detortis.

I.

Inaudita Prophetis, Christo & Apostolis asserta uerare, impium est.

Sed esse unicum Deum, & tamen esse tres personas, est inauditum prophetis, Christo, & Apostolis.

Ergo haec doctrina est impia. In tabula & epistola ad Tigurinos.

R. Minor

R. Minor est falsissima. Ecquid autem frontis isti Ariani habent? Nam utrumque, uti demonstramus, sacra scriptura tradit, & Vnus duntaxat esse Deum, Deut. 6. Et tres esse personas, Patrem, Filium & spiritum sanctum, Matt. 28. Liquidissime etiam Iohannes inquit, Tres sunt in cælo, qui testimonium perhibent, Pater, ἀληθινός & Spiritus sanctus (Audis tres personas?) et sequitur, & hi TRES VNUM sunt. Sed exagitant isti Ariani locutionem Ecclesiae, Vnum esse Deum, & tamen trinum, quæ quidem oratio non discrepat à uerbis Euangeliæ Iohannis, qui inquit, Hi tres unum sunt.

## 2.

Christus non ita loquitur, quia tantum inuocat Deum Patrem, & nos etiam iubet Patrem inuocare.

Ergo unicus est Deus Pater.

R. Est fallacia compositionis & diuisionis, quam incautis hominibus isti præstigiatores imponunt. Quando enim de aliquo articulo dicendum est, non tantum una aliqua sententiola excerpta est ex sacris literis, sed integer contextus, & quasi corpus illius doctrinae inspici & considerari debet. Constat autem Christum disertè docuisse, unum esse Deum, Matthæi quarto, decimonono, 22. Marci 12. Deinde etiam perspicue docuisse de

L 2 tribus

## 148 Arianorum refutatio.

tribus personis, Patre, Filio & Spiritu sancto Matthæi 28. Iohann. 14. 15. & alijs in locis. Ergo uerum & unicum Deum, non uocat aut docet alium, quam qui est Pater, Filius & Spiritus sanctus, in cuius nomine omnes sunt baptizandi. Quod uero Patrem interdum solum nominat Deum, non est exclusiva oratio; quasi Pater solus sit Deus, excluso Filio & Spiritu sancto. An non legerunt etiam ista, quod οὐδεὶς sit Deus, Iohann. i. Quod Christus sit Dominus & Deus, Iohann. 20. Præterea hic se produnt Ariani, quod negant Filium esse unum illum Deum, coessentialē & coomnipotentem cum Patre & Spiritu sancto. Item quod negant Spiritum sanctum esse Deum. Ista monstrā isti spiritus fouent & parturiunt.

## 3.

In uerbis Baptismi Christus non inquit, Baptisate in Deum, cuius est una essentia & tres personæ. Ergo non est Deus talis.

R. Eodem pertinet hæc argumentatio. Nam res sunt eadem. Quem enim Deum, Christus ibi distinguis personis nominat, Ecclesia dicit esse unum Deum seu unam essentiam, quæ quidem essentia sit Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Debebant igitur isti Ariani probare evidenter, locutionem Ecclesie, à rebus & à doctrina Christi dissentire. Hoc est κοινόπλευρον. Nam uerborum uariatio, non semper mis-  
tat

fat rem ipsam. Imò ipsimet alijs uerbis utuntur, q̄  
in sacris literis extat, ut suam opinionem declarēt.

4.

1. Corinth. 8. dicitur: Nobis unus est Deus Pa-  
ter, ex quo omnia, Vnus Dominus Iesus Christus  
per quem omnia. Vnus spiritus sanctus omnia sancti-  
ficans. Eph. 4. Vnus Deus & Pater omnium.

Ergo non recte dicitur, Pater, Filius & Spi-  
ritus sanctus, sunt unicus & uerus Deus.

R. Argumentū ex inscitia phrasis, uel ex cras-  
sa cæcitate oritur. Nam in hisce testimonijis non ex-  
cluduntur Filius & Spiritus sanctus, quò minus &  
hæ personæ sint unus & uerus Deus cum Patre. Nā  
Iohannes disertè inquit, Hi tres unum sunt. Deinde  
non attendunt isti uertiginosi spiritus, uocabulum  
Dei, 1. Corinth. 8. primum generaliter ponit, deinde  
per exegesin seu specialem enumerationē, perso-  
nas subiici, quæ quidem phrasis saepius in scriptis  
Paulinis occurrit, præsertim uero in salutationi-  
bus. Ut, Gratia uobis à Deo Patre nostro, & Domi-  
no Iesu Christo. Hic uocabulum Dei non tantum Pa-  
tri, sed et Christo conuenit, sicut alia testimonia id  
luculenter probant. Tertio quando Christus uoca-  
tur Dominus, idem est, ac si Deus diceretur. Nam  
uocabulum Iehoua, quod soli Deo proprium est,  
Græci uerterunt per οὐρανόν. Sicut igitur non ex-  
cluditur Pater, in hoc membro orationis, unus Do-

minus Iesus Christus, quò minus & ipse Pater sit le-  
houa seu Dominus, sicut filius, ita etiam in priori  
parte, Vnus est Deus Pater, non excluditur filius,  
quo minus & ipse sit Vnicus ille & uerus Deus, cù  
Patre & Spiritu sancto.

Esa. 44. dicitur: Ego sum primus & nouissi-  
mus, & præter me non est Deus. Iohannes de Chri-  
sto ista profert, Ego sum primus & nouissimus, Al-  
pha & O. principium & finis. Si quis hinc infer-  
ret, Ergo solus filius Dei est unicus Deus, non Pa-  
ter, non Spiritus sanctus, nonne iudicaretur insa-  
nire? Cum igitur scriptura dicat, Filium esse pri-  
mum & nouissimum, hoc est, Vnicum Deum. Item  
dicat de Patre, eum esse unicum Deum. Insuper di-  
cat etiam de spiritu sancto, eum esse unicum Deum.  
Ergo manifestum est, Patrem, Filium & Spiritum  
sanctum, esse unicum & uerum Deum, non Pa-  
trem solum. Et phrasin, Audi Israel, Dominus  
Deus tuus, synecdochice de Patre, Filio, & Spi-  
ritu sancto, accipiendam esse. Sic & hanc, Vnus De-  
us & Pater omnium.

## 5.

Philippus non cupiebat nosse essentiam uel tri-  
num, sed Deum Patrem.

Ergo Filius & Spiritus sanctus, non sunt unicus  
Deus cum Patre. Sed Pater est unicus & uerus De-  
us duntaxat.

R. Quis.

R. *Qui* non affectatam maliciam, in hac argumentatione deprehendit? Verba essentiæ & trinitatis, in ea historia non exprimuntur, Ergo de rebus illis, non sit in hisce Philippi uerbis mentio. Qualis hæc quæso est consequentia? An non duo de eadem re, uerbis dissimilibus loqui possunt? Deinde nō somnium Patris, sed uerum & existentē Partem Christi, oculis carnalibus intueri cupiebat Philippus, Ergo essentiam Patris cernere desiderabat. Porro si non existit, si non est essentia Pater celestis, Ergo NIHIL est. Deinde non cupiebat Philippus alium Deum uidere, quam eum, quem postea Christus in uerbis Baptismi nominat, nēpe qui est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, licet tantum Patrem exceptabat sibi monstrari. Atqui Pater, Filius & Spiritus sanctus sunt tres, etiam istorum Arianorum confessione. Ergo illum Deum uolebat intueri Philippus, qui esset trinus in personis, sicut tres distinctas & uiuas res, Christus sepe nominat.

6:

In Symbolo dicitur, Credo in Deum Patrem, & in IESVM CHRISTVM, & in spiritum sanctum.

Ergo Pater est unicus DEVS, non Filius, non Spiritus sanctus. Nam uocabulum,

L 4 Deus,

Deus, tantum Patri apponitur.

R. Nomen Dei, in huius professionis initio, collectiæ, more scripturæ sacræ usurpatum. Deinde subiicitur euolutio seu enumeratio specierum. Ac sacrilegium est infandum & intolerandum, Filium & Spiritum sanctum, in symbolo priuare istuc est pitheto, quasi ipsis quoq; non cōueniat nomen Dei.

## 7.

Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum.

Ergo solus Pater est solus Deus, Iesus Christus autem non est ille solus Deus, cum Patre, & Spiritu sancto.

R. Hoc ipso dicto, Ariani ueteres istorum recentium patres, ad suam rabiem abusi sunt, ut ostenderent, Filium Dei non esse Deum. Est autem merita calumnia & deprauatio dicti Christi. Est enim dia bolus mendax, & ueracissimi Christi uerba, impudentissime corrumpit atq; detorquet. Nam Christus clarissime inquit, ad æternam uitam consequendam pertinere, ut homines utrumq; cognoscant, tam Filium quam Patrem. Ergo in opere hoc, quod soli Deo competit, nempe in donatione uitæ æternæ, copulantur Pater & Filius. Hinc argumentum texitur.

Solius Dei est, uitam æternam dare.

Sed Pater & Filius largiuntur uitam æternam,  
noticia

noticia sui, seu fide in utrumq; fixa et collocata, teste Christo.

Ergo Pater et Filius, sunt solus ille, sed unicus et uerus Deus. Non autem excluditur spiritus sanctus. Nam sacrae literae, sèpè tantum Patris et Filii meminerunt.

Deinde luculenter coniunguntur in hoc dicto, Pater et Filius per coniunctionem ET, quæ quidem coniunctio clarissimè docet, tum Patrem, tum Filium esse SOLVM illum Deum uerum, qui est agnoscendus et colendus. Non enim hic dicit Christus, Ut te Patrem cognoscant solum esse uerum et unicum Deum, Filium uero tuum non. Neq; inquit, Iesum Christum esse inferiorem Deum, ac non pertinere ad UNITATEM Deitatis. Sed uerba plana sunt, ut TE ET IESVM CHRISTVM, quem misisti, cognoscant SOLVM DEVUM VERVM. Prudentissimè igitur sapientia Dei ista uerba protulit, Verba enim TE ET QVEM misisti Iesum Christum, sunt subiecta in hac propositione sine oratione, SOLVM Deum uerum, sunt prædicata de utroq; subiecto, id quod reliqua scriptura declarat. Primum enim, disertissimè filium tam appellat Deum, quam Patrem. Deinde generalia dicta, unitatem Dei adstruunt, non exclusivitatem, sed in cludentia potius Patrem, Filium et Spiritum sanctum. In hac expositione libenter se=

quor Augustinum, qui hac ratione istam orationem intelligit atque distribuit, quanquam non ignorat, alios nonnullos existimare, Augustini syntaxis nimis esse coactam, præcipue propter articulum τοῦ Verūm explanatio Augustini, sacris literis est consentanea. Cum autem uerba Augustini hanc doctrinam illustrent, non pigeat ea legere. Sic inquit: Ordo uerborum est, Ut te & quem misisti Iesum Christum, cognoscant solum uerum Deum. Consequenter enim & spiritus sanctus intelligitur, quia spiritus est Patris & Filii, tanquam charitas substantialis & consubstantialis amborum, quoniam non duo Dīs Pater & Filius, nec tres Dīs Pater & Filius & Spiritus sanctus, Sed ipsa trinitas unus solus uerus Deus, nec idem tamen Pater qui Filius, nec idem filius qui Pater, nec idem Spiritus sanctus, qui Pater & Filius, quoniam tres sunt Pater & Filius & Spiritus sanctus, sed ipsa trinitas unus est Deus. Usitata & hæc responsio est, Ista uocabula, SOLVM uerum Deum, opponi Ethnicis & commenticiis Dīs, qui tantum sunt minimum figura, nec sunt unicus & uerus Deus. Neque illam expositionem planè rejecimus, si de extrè accipiatur, Ut te Patrem cognoscant solum uerum Deum, hoc est, non esse numen fictitium, ut Ethnicorum dīs sunt, & quem misisti, ESSB Iesum Christum, hoc est, uerum Messiam. Neque enim

enim hoc pacto filius Dei à deitate excluditur. Nā  
mentio officij, non tollit ipsam substantiam, ut om-  
nes sani intelligunt.

8.

Gratia & pax, à Deo Patre & Domino Iesu  
Christo.

Ergo solus Pater est Deus, Filius autem non est  
unicus ille & uerus Deus, licet & ipse Deus sit, ut &  
Pote filius Dei.

R. Est calumnia sententiæ Paulinæ, & no-  
ta uertiginosi & maledici spiritus. Nam Sacra  
scriptura, pro synonymis usurpat ista duo uoca-  
bula, Deus & Dominus. Imò Dominus est ipsa uox  
Iehouæ. Sed Iehouæ appellatio, soli Deo in sacris  
literis adscribitur. Ergo tam uocat Paulus Ie-  
sum Christum Deum, quam Patrem, & quidem il-  
lum ipsum Deum, qui est Vnicus & solus, scili-  
cet iuxta declarationem sacræ scripturæ.

ARGUMENTA, QVAE  
ex rationationibus qui-  
busdam extruun-  
tur.

9.

Qui non genuit, nec genitus est, nec procedit,  
non est uerus Deus,

Sed

Sed unus Deus in essentia, nec genuit, nec generatus est, nec procedit.

Ergo ille unus Deus in essentia, non est uerus Deus.

Minorem probant: Quia Sententiarij dicunt, essentiam non generare.

R. Minor est calumnia. Nam ita unitas essentiae asseritur, ut non separetur neq; excludatur personarum distinctio. Nam illa unitas non est alius Deus, non aliud quiddam, quam Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Extra has tres personas, nulla unitas essentiae imaginanda est, & extra hanc unitatem, nullæ tres personæ diuinitatis imaginandæ sunt: Causa eius rei est, quod utraque in uerbo Dei sunt manifestata, nempe quod unicus Deus existat, & nihilominus sint tres, Pater numerum, Filius & Spiritus sanctus. Indistinctus est Deus, si unitatem species. Distincti sunt Pater, Filius & Spiritus sanctus, si personas species. Imò ipsimet Ariani noui eadem proferunt, licet postea more hereticorum, semet ipsos rursus destruant. Nam tres inquiunt, esse unius naturæ diuinæ. Natura autem diuina & essentia diuina, idem sunt. Ergo idem dicunt quod nos. Nam æquipollent ista: Tres sunt, & isti tres sunt unius naturæ diuinæ. Ac deinde nostra locutio, Tres sunt personæ, et una essentia diuina. Hec ideo credimus & profitemur, quia scriptura ea docet, licet

licet ratio humana explicare hoc mysterium nequeat, quomodo Deus sit unus, & tamen ille unus Deus sint tres, Pater nempe, Filius & Spiritus sanctus. Ille unus Deus nullus est, si non est Pater, Filius & Spiritus sanctus. Sic Pater, Filius & Spiritus sanctus non sunt, si non sunt unus ille & uerus Deus. Mentiuntur igitur Ariani isti, quod talis à nobis cōstituatur essentiæ diuinæ unitas, à qua personarum distinctio sit penitus explosa.

Probatio Minoris non ex perspicuo uerbo Dei, sed ex Sententiarijs sumitur. Cum autem hoc sit mysterium quoddam, ideo uariant sententiæ. Nam aliqui uocem Essentiæ absolutè, aliqui relatiuè accipiunt. Certum autem ex uerbo Dei est, Patrem genuisse Filium, & Filium esse genitum, & Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere. Quomodo autem id factum sit uel fiat, rationis captum excedit, eamq; ob causam ea in parte sententiæ non congruit. Quando autem pij dicunt, Essentiam generare, respiciunt personarum distinctionem. Nam hoc argumentum planum est.

Filius Dei est genitus:

Filius Dei est essentia, est res uiva, non est somnium aut phantasma. Item est Deus. Istæ duæ propositiones ex uerbo Dei sunt manifestæ.

Ergo essentia etiam generat.

Spurious quas ratio humana infert, & scrutatur

tatur istius mysterij modum, repudiamus, quia scriptum est, Mulier, id est, ratio cæca in Ecclesia tacet. Reuelatis in Ecclesia Dei simus contenti. Item, Qui scrutatur Majestatem, opprimetur à gloria. Et sicut Augustinus inquit, Cælo tonante, ranæ taceant.

Quando autem alij defendunt istam sententiam, Essentiam non generare, respiciunt communionem & unitatem Deitatis seu Naturæ, neque tandem eunt inficias, Patrem Filium generasse, Filium esse natum, & Spiritum sanctum procedere ab utroque, & hosce tres unius esse naturæ diuinae, seu unicū & uerum Deū. Vtra sententia iam in hac disputatione Scholasticorum, an essentia generet, sit planior, & minus reprehensioni obnoxia, candidi Lectores non difficile iudicant.

Improbè autem faciunt Ariani, quod ob locationem de modo generandi, ipsam doctrinam de unitate Dei & tribus personis conuellunt: Nam Ecclesiæ nostræ, utrumque ex sacris literis palam asserunt & profitentur, unicum esse Deum, & non plures, Et: tres esse personas, quæ sunt ille unus Deus, & non aliis. Non excluditur unitas à personis, neque persona ab unitate. Sicut enim recte dicitur, Hi tres Vnum sunt, ita etiam recte dicitur, unus Deus est Pater, Filius & Spiritus sanctus. Ad hanc doctrinam ipsa ratio hominis allidit,  
sed

sed uerbo Dei firma fide acquiescendum est. Hec de speciosissimo nouorum Arianorum argumento dicta sufficient.

10.

*Qui non genuit, nec genitus est, non est Pater Christi, nec Filius Patris, nec Mediator.*

*Sed unus Deus in essentia, non genuit, nec genitus est.*

*Ergo ille unus Deus in essentia, non est Pater Christi, nec filius Patris, nec Mediator.*

*Minor iterum incumbit isti fundamento, quia Scholastici dicant, Essentiam non generare.*

R. Est idem argumentum cum præcedente, & procedit tantum ex maliciosa exagitatione locutionis, qua usi sunt Scholastici, in explicatione generationis diuinæ, cuius quidem rei modum, nemo hominum explicare poterit. Sicut præclarè inquit Ambrosius, *Licet scire, quod natus sit, non licet discutere, quomodo natus sit.* Illud mihi negare non licet, hoc querere meus est.

Est igitur Minor mera calumnia, quia non asseritur talis Vnitas, seu talis unus D E V S, qui sit alius, quam Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Sed profitemur Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, esse Vnicum & uerum D eum, qui

sc.

se certo uerbo & patefactionibus declarauit, nec esse alium. Iohan. 10. Christus inquit, Ego & Pater unum sumus. Ait se unum esse cum Patre, uerum non exclusa Patris & Filij distinctione. Et perspicue lo bannes inquit, Hi tres unum sunt. Tres audis esse, & tamen hi tres unum sunt. Non est unitas absque tribus, & non sunt tres absq; unitate. Hæc non docet Arithmetica, non ratio in capite istorum Ariano rum, sed uerbum Dei, cui omnes tenentur acquisi scere, & non scrutari, quomodo hæc sint possibili a. Nā rationi tuæ cæcæ nunquam erunt possibili a, fidei uero innitenti uerbo diuino, certa & immobilia sunt. Simul etiam accurate obseruetur, quod & supra monui, uocabulū essentiæ usurpari aliâs absolutè, hoc est pro Natura seu diuinitate. Aliâs uero relatiuè, quando personæ considerantur. Has diuersas significaciones isti noui Ariani, resq; ipsa simul nefariè & petulanter confundunt.

## II.

Qui unum essentia, trinum personis profitentur Deum, nullum Deum profitentur.

Sed hoc uos facit is.

Ergo nullum Deum profitemini.

Ratio Maioris est, quia unum fingitis Deum, qui non sit tres, & tres, qui non sint illa unica essentia.

R. Maior nullam habet connexionem firmam,

lmo

Imò mendacium est . Nam sacræ literæ docent, unū  
esse Deum, & tamen esse tres, Patrem , Filium &  
spiritum sanctum . Ideo iuxta uerbum Dei , uerum  
Deum docemus, inuocamus & profitemur . Si uero  
Ariani isti iudicant, uerba quibus utitur Ecclesia, &  
rebus quas tradit sacra scriptura , dissidere, mon-  
strent discrepantiam , & doceant meliores locu-  
tiones.

12.

Quos scriptura non appellat Deos, non sunt ap-  
pellandi Dij.

Istos tres, Patrem nempe , Filium & Spiritum  
sanctum, scriptura nusquam appellat tres Deos:

Ergo hi tres, non sunt unus Deus.

R. Plus in conclusionem ingeritur, quam præ-  
missis inest . Hoc sequitur , Ergo non sunt tres Dij,  
idq; uerum est . At qui istos tres non esse unicum il-  
lum & uerum Deum, ex præmissis non sequitur.  
Nam scriptura sacra cuilibet personæ attribuit  
istud genus, quod sit Deus, non tamen tres esse De-  
os docet, sed unicum duntaxat Deum , qui est Pa-  
ter, Filius & spiritus sanctus:

13.

Vbi non est doctrina , quod unus sit Deus Pater,  
qui per Filium à peccatis nos redemit , ibi non est  
doctrina de misericordia & iusticia Dei.

Sed qui docent , Deum unum essentia esse , non

M habent

habent hanc ueram de Deo doctrinam.

Ergo & hi de misericordia & iusticia Dei non possunt docere.

Minorem probant, quia nescitur, an ista essentia sit Pater uel mater.

R. Confundat os blasphemum Dominus. Minor est tetra calumnia, quia non docemus essentiam Dei, si vox essentiæ absolute accipiatur, pro Natura seu Diuinitate, in qua non sit trinitas seu tres distinctæ personæ. Vel ut loquitur scriptura, Doceimus unicum esse Deum, qui sit Pater, Filius & Spiritus sanctus, & non aliis. Itaq; unicus ille Deus, quem Vetus ac Nouum Testamentum, omnesq; orthodoxi docent & profitentur, est ille ipse Pater, q; genuit filium, & est filius, qui genitus est à Patre, & est spiritus sanctus, qui à Patre et filio procedit.

Si uero argumentum ad Iudeos & Turcas accomodaueris, locum sanè habebit. Nam etsi illi quoque unum Deum profitentur, tamen pernegerant eum Vnicum esse Deum, qui sit Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Ideo de Vnitate Dei non recte sentiunt:

147

Si Deus Vnus essentia non genuit, uana est redemptio, fides, invocatio.

Sed uos Deum Vnum essentia, dicitis non genuisse.

Ergo

Ergo non est redemptio, fides, invocatio.

R. Maior non est firma. Nam dicere de essentia, non tollit Trinitatem personarum. Per calamitatem igitur hanc locutionem lacerant noui Ariani. Quando enim dicitur, Una est essentia, unus Deus, non sit exclusio personarum ab hac unitate, seu Deitate. Nam tali modo est unicus Deus, ut tandem sit Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Item, et si sit unicus tantum Deus, tamen personae non sunt confusae. Hic est articulus non rationis, sed fidei.

Ad Minorem. Naturam diuinam sive Deitatem, sicut & ipsi noui Ariani loquuntur, dicimus esse unam, communem illis tribus, Patri, Filiu, & Spiritui sancto. Sed tres illi ita distinguuntur, ut sit Pater, sit Filius, sit Spiritus Sanctus, qui tres sunt res existentes, nec sunt confundenda. Pater non est Filius, neque Filius Pater, neque Spiritus Sanctus uel Pater, uel Filius. Nam Scriptura sacra inquit, esse tres. Nihilominus isti tres, ut dictum, non sunt plures Dij, sed sunt unicus & uerus Deus, contra omnem Arithmeticam & ratiocinationem omnium hominum. Quia de Deo sentiendum & loquendum est, sicuti in Verbo certo est traditum & patefactum.

15:

Qui docet unum esse Deum essentia, & trium

M 2 in

in personis, cohatur unum & uerum Deum Patrem,  
cum unigenito eius filio abolere.

Sed uos hoc facitis.

Ergo tantum nefas committitis.

R. Maior nullam habet connexionem, & fal-  
sissima est. Nascitur autem ex illa calumnia Aria-  
norum, quemadmodum & pleraque alia argumen-  
ta, quod dicunt scholastici, Essentiam non generare.  
Sed usque ad fastidium hoc inculcandum est. Quando  
Ecclesia Christi unitatem profitetur, non excludit  
tres personas, quando trinitatem docet, non exclu-  
dit unitatem. Verum isti criminatores, essentiam a  
tribus personis maliciose diuellunt, ac reuera dia-  
boli artem imitantur, qui mutilata dicta Christo  
objiciebat. Sic isti spiritus, tantum hanc partem ar-  
ripiunt, Vna est Essentia diuina, quae tamē concor-  
dat cum hac oratione, Vnus est Deus. Alterum ue-  
rō, quod additur in Ecclesia orthodoxa, Tres esse,  
Patrem, Filium & Spiritum sanctum, & hosce tres  
esse unum, ut inquit Iohannes, seu unum Deum: nam  
id uult Apostolus: id inquam isti Nebulones omit-  
tunt. Ita carpūt priorem partem eius doctrinæ, &  
posteriorem, sine qua prior illa pars non existit,  
prætergrediuntur. De Scholasticorum autem senti-  
tentia antea diximus.

## 16.

Qui quatuor constituant personas diuinitatis, im-  
pie faciunt.

Sed

Sed qui unicum dicunt esse Deum, & tamen tres personas, quatuor faciunt personas.

Ergo quaternitatem asseritis.

R. Minor est falsissima. Nam Verbum Dei docet, unicum esse Deum, & hos tres, Patrem, & Filiū, & Spiritum sanctum esse unicum illum Deū, Iohann. 5. Itaq; non sunt quatuor personæ, sed tres tantum personæ, que tres personæ sunt unus & uerus Deus. In hac parte isti Ariani sacræ scripturæ bellum inferunt, & sine causa blasphemāt. Nam Minor non habet ullam firmam ratiocinationem.

Similes ineptias gignunt, quando dicunt, Scriptura inquit, Tres sunt unus. Ergo unus Deus non est trinus. Obseruet Lector uertiginosos istos spiritus, contra manifestissimum textum insanentes, & blasphemia uerba ex impuris palatis eructantes.

17.

Sabellius ita docuit, genitorem, genitum & procedentem, esse Trinomium.

Ergo uos estis hæretici.

R. Vide quid faciat calumnia? Non dicimus non minetenus tantum esse tres, ut Sabellius insaniebat. Sed Patrem, Filiū & spiritum sanctum esse tres res existentes, non spectra quædam, non diuersum habitatum, gestus aut representationem unius duntat personæ, sed tamen istas tres res esse unum Deum, non plures. Non quidem iuxta caliginosam cu-

166 Arianorum refutatio.

iūsquā hominis mentem, sed iuxta Verbum Dei,  
quod credendum est, licet omnis omnium creatura  
rum ratio, hoc mysterium diuinum, nempe Q V O  
M O D O Deus sit Vnus, & tamen tres sint perso-  
nes istius Vnici Dei, assequi & explicare nequeat.

18.

Patres, qui statim post Apostolos nixerunt, do-  
cuerunt Vnum Deum esse Patrem, non dixerunt Fi-  
lium & Spiritum sanctum cum Patre esse illum uni-  
cum Deum, aut trinum esse Vnum, &c.

Ergo uos erratis.

R. Nequiter & maliciose hosce Patres citatis.  
Nam Martialis ad Burdegenses inquit, Sola tri-  
nitas in diuinitate Vnitatis seipsam nouit. Item,  
Rursum trinitatem in Vnitate designauit. Item: Vo-  
bis Vnus & idem Deus, qui cuncta creauit, Pater:  
& Vnus & idem Dominus, per quem omnia facta  
sunt, Filius eius Iesus Christus: & Vnus idemq; De-  
us Spiritus sanctus, in quo omnia subsistunt. Et haec  
in PERSONIS tria diuisa, in diuinitate VNVS  
Deus indiuisus est.

Arnobius super Psal. 134. inquit: Ita Trinita-  
tem in una deitate coniungit, ut tres uerè dicam  
esse personas, & unam uerè dicam esse substātiām.  
Epiphanius lib. 2. tomo. 1. Confitemur Trinitatem,  
Vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate,  
Vnam deitatem Patris, Filij & spiritus sancti.

19. Ybi

19.

Vbicunq; sunt uariæ locutiones de eadem re,  
ibi est error.

Vestræ locutiones de Deo uariant.

Ergo erratis de Deo.

Minor probatur, quia dicitis, Vnum esse Deum  
essentia, & trinum personis. Item. In Deo esse di-  
stinctas personas. Item alijs aliter uocabula Essen-  
tiæ & substantiæ interpretatur.

R. Maior falsa est. Nam ubi uerborum uariatio  
non mutat res ipsas, ibi non est error. Eandem rem  
alijs uerbis Prophetæ, alijs Christus, alijs Apostoli  
exponunt, & tamē congruūt in rebus, neq; sunt hæ  
retici.

Ad Minorem: In rebus est consensus, licet uerba  
& declaratiōes interdū uariēt. Alius enim alio clā-  
rius loquitur: sic interpretatiōes aliæ sunt cōcinnio  
res alijs. Attamē in unico quasi scopo collimant, nē  
pēnt asserant unum esse Deum, & Patrem, filium  
et spiritum sanctum esse illum Vnicum Deum. Si quis  
uerò hasce res peruerunt, id quod nefariè audent  
isti noui Arianī, illi sine omni dubitatione iudican-  
di sunt hæretici, præsertim, si moniti pertinaciter  
in erroribus persistant.

20.

Absurda non sunt afferenda.

Si Christus ideo unus Deus est cum Patre, quia

## 168 Arianorum refutatio.

est unius naturæ , unus erit idem Christus cum Abrahamo patre suo, quia unius naturæ est cum illo.  
Nota hæc uerba.

Ideo Christus non est unus Deus cum Patre.

R. Ecce hisce uerbis isti spiritus, ueluti ex opera sua spelunca caput exerunt atq; declarant, sc̄e caput Arij ex stygia palude iterum in hanc lucem proferre . Nam impudentissimo ore effutire non uerentur, Christum non esse unum Deum cum Patre. Sed cur ipse Christus inquit Iohan. 10. Ego & Pater V N V M suntus? Cur dicit Iohan. 14. Pater in me est, & ego in Patre? Cur Thomas inquit, Dominus meus & Deus meus? Cur Iohannes docet, Hi T R E S, nempe Pater, λόγος & Spiritus sanctus, V N V M sunt?

Deinde ad Maiorem respondendum est. In rebus diuinis alia sunt absurdâ fidei, alia rationis. Absurda fidei sunt, quæ in sacris literis non sunt tradita. Ea uero uitanda & fugienda sunt. Absurda uero rationis, in sacris literis caueri nequeunt . Nam fidei articuli omnes, coram ratione hominum sunt absurdi, eamq; ob causam credendi, non sapientia hominum estimandi sunt.

Tertio ad Minorem : Amentes Ariani , à rebus humanis , ad diuinis argumentantur, in quibus est diuersissima ratio, id quod omnes sanamente praediti norunt. Insuper rectissime sequitur, Christus est

est ex sanguine Abraham procreatus, Ergo est uerus homo, & habet carnem, sanguinem, animam, perinde ut Pater Abraham, licet persona distincta sit, & non sit peccato originali aut actuali ex se de prauatus, ut Abraham. Sic etiam optima & firmissima consequentia dicitur, Filius est genitus a Patre, Ergo filius est Deus, est coessentialis Patri. Præterea nihil potest esse de essentia Patris, seu eiusdem naturæ, uel coessentialis Patri, quomodo cunque alicui libeat efferre, quod non sit Deus.

21.

Ordo est inter mittentem & missum.

Ergo non est Deus trinus.

R. Ab ordine ad essentiam, nulla est firma consequentia. Nam ordo distinctus, non tollit communem essentiam siue deitatem. Regula enim est, Alia dicta scripturæ loquuntur de essentia Dei, alia de ordine atque de officio. Hoc uero in loco disputatio est de Deitate siue de essentia Dei præcipue, non de ordine seu officio. Debebant igitur hic allegari talia dicta, que propriè & perspicue de ipsa Essentia loquerentur.

22.

Deus uult inuocari per Filium.

Ergo Deus non est trinus.

R. Nulla est connexio, estque impostura, secundum non causam ut causam. Nam dicta de inuoca-

M 5 tione,

tione, non loquuntur de ipsa essentia Dei, uerum  
de officio. Sic autem se Deus reuelauit, quod solus  
Filius, non Pater, sit factus homo & uictima pro  
peccatis totius mundi. Constitutus est igitur hic  
propiciator generis humani, Mediator & Sacer-  
dos, in cuius nomine preces sunt offerendæ. Licet  
tamen etiam ad ipsum Christum inuocationem di-  
rigere, atque petere, ut propter suum sanguinem  
pro nobis effusum, nos clementer respiciat & sal-  
uet. Licet dicere, Iesu Christe fili Dauid, misere-  
re mei. Item: Domine Iesu, suscipe spiritum me-  
um, &c.

## 23.

*Deus absolute acceptus, non generat, ut Sophi-  
sta affirmant.*

Sed non est Pater Deus, qui non generabit.  
Ergo doctrina Sophistica euertit doctrinam de  
Deo.

R. Sunt quatuor termini, & fallacia in uoce  
Deus. Maior enim de natura seu Deitate loquitur,  
Minor de personis. Ac necesse est in sacris literis  
obseruare, quæ dicta de ipsa Deitate, & quæ de  
personis distinctè loquantur, quam quidem regu-  
lam, isti Arianî euertere non poterunt. Deinde in  
maiori simpliciter hoc affirmatur, unam esse deita-  
tem communam tribus: & rudiores monentur, ge-  
nerationem sic in sacris literis esse reuelatam, ut

ad personas referatur, nempe ad Patrem, qui generat solus, & ad Filium, qui natus est solus, Pater enim non est generatus, nec Spiritus sanctus est natus, qui habet suam proprietatem in procedendo ab utroque: Maliciose igitur hanc locutionem, i-sti Ariani exagitant. Etsi autem Scholastici doctores quædam nimis subtiliter differunt, tamen discernendum est inter ea, quæ recte dicta sunt, & inter ea, quæ palam sunt falsa.

24.

Deus Pater, nihil quicquam nobiscum agit, nisi per Filium.

Ergo solus Pater est Deus, non Filius & Spiritus sanctus cum Patre, sunt unus & uerus Deus.

R. Antecedens falsum est. Nam Genes. 1. Elohim deliberat, Faciamus, inquit, hominem. Ergo Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus, ibi simul agunt de homine. Sic Pater inquit Matth. 3. 17. Hic est Filius meus, &c. Ibi Pater ipse docet nos immediate de filio suo, eumq; nobis exhibit. Deinde dicta scriptura de officio uniuscuiusque personæ, non tollunt neq; destruunt communem, seu unicam essentiam seu Deitatem.

25.

Vnum possunt esse multi, non unus. Nam unus & unum differunt.

Pater

Pater & Filius unum sunt, deitate, potentia, aeternitate.

Ergo non unus et idem Deus est Filius cum Patre.

Declaratio Minoris additur, Christus est unum nobiscum natura vel humanitate, non unus, Ita etiam cum Patre est Filius Dei unum natura, non unus Deus.

R. Multiplex est impostura in hoc argumen-  
to, primum enim a principio philosophico, quod locum habet in creaturis, ad ipsum creatorem proceditur. Itaque maior tantum de creaturis loquitur, non de unitate essentiae Dei. Si uero ad Deum referendum esset, recte intelligendum esset, nempe persona non esse confundendas, non enim est unica tantum persona unius & ueri Dei, sed est unus & uerius Deus, qui distinctis tribus, Patre, Filio, & Spiritu sancto, in sacris literis exprimitur, siue istos tres uoces hypostases, personas, siue ueritatem, existentia, siue alijs conuenientibus nominibus.

Deinde, in Minoris est insufficiens enumeratio proprietatum eius unitatis, qua Pater & Filius unus sunt. Nam existentia seu essentia quoque unum sunt, id quod callidè isti ueteratores omittunt. Ratio firmissima est, quia sacrae literae de Deo, ubi non expressè de distinctis personis loquuntur, simpliciter affirmant, unum esse Deum. Ergo illi tres, quos alias distincte nominat sancta scriptura, sunt unus ille

Deus,

Deus, de quo primum præceptum ait, Non habebis Deos alienos.

Declaratio Minoris dissimile ad fert. Ergo nihil probat. Nam filius Dei nequam est unum nobiscum, sicut est unus cum Patre. Nam de Christo dicitur, plenitudinem diuinitatis in eo habitare σωματικῶς. Hæc proprietas non conuenit Petro aut Paulo. Ita etiam non ad mensuram, Christus accepit spiritum sanctum. Comprehenditur Filius Dei in primo præcepto, & in illo illustri dicto, Deus tuus unus est. Item, Non est alius præter eum. Sed Iacobus, Iohannes, non comprehenduntur tali ratione in ipsis dictis, nisi quod eum uerum Deum agnoscere & colere debent. Conclusio igitur argumenti Ariani uana est.

## 26.

Filius non est unus cum Patre, quia tres sunt. In de hoc argumentum extruitur.

Tres non possunt esse unus.

Pater, Filius & Spiritus sanctus, tres sunt.

Ergo Filius non est unus cum Patre, nec spiritus sanctus.

R. A principio Arithmetico, ad ipsam essentiam atq; maiestatem Dei, non ualeat consequentia: Os Domini docet, tres esse, Patrem, & Filium & Spiritum sanctum, & esse unum Deum, qui non sit alius, q; Pater, Filius & Spiritus sanctus.

Deinde

Deinde notanda regula est. Alia dicta scripturae, loquuntur de personis, alia de Unitate Dei, eaque non seipsa euertunt ac destruunt, sed potius declarant et confirmant. Blasphemum igitur dogma est istorum Arianorum, Patrem, Filium et Spiritum sanctum, non esse UNUM Deum. Id enim manifestis et expressis uerbis asseuerant.

## 27.

Christus nusquam simpliciter dicitur Deus, sed tantum respectu Patris dicitur Deus.

Ergo Filius Dei non est unus et idem Deus, cum Patre et Spiritu sancto.

R. Ex falsis asseverationibus, false conclusiones gignuntur. Falsum est, Christum simpliciter nusquam Deum appellari. Nam Thomas eum simpliciter Iehoua et Deum appellat, Dominus, inquit, meus et Deus meus. Item, Rom. 8. Qui est super omnia Deus benedictus in secula. Hebræ. 3. Qui creauit omnia Deus est, Loquitur autem de Filio Dei. Deus ipse ueniet et saluabit nos. Esaiæ 9. Vocatum est nomen eius Deus fortis, &c.

Falsum et hoc est, Filium semper tantum respectu Patris Deum dici. Nam quod ad personas, sacra scriptura ponit distinctionem et relationem, Sed quod ad ipsum ESSE Dei, affirmat unum esse Deum, qui sit primus et nouissimus, et ET unus, praeter quem non sit Deus. Ergo Filius et Spiritus sanctus,

Sanc*tus*, non sunt aliis Deus, præter eum Deū, qui etiam Pater est. Quæ igitur sacra uox distinctè pos*n*it, & quæ coniungit & unit, non sunt confundenda, uel neganda. Tres ait esse, Patrem & Filium & spiritum sanctum, & tamen unum esse Deū. Ista quidem ratio humana metiri non potest, sed fides mysterijs diuinitus patefactis et traditis, ueritatem tribuens, complecti potest. Fides enim non absterretur absurdis rationis, sed claro uerbo Dei simpliciter & directè assentitur. Deus enim sapiensissimus & ueracissimus nequaquam mentitur. Au

dio quidē nobis obijci, Filium esse Deum de Deo genitum, ac uerè ista dici credo, sed hīc de personis dicitur: alia uero dicta simpliciter de ipso ESse seu existentia Dei loquuntur, atq; unitatem urgent. Eò autem isti Ariani suos cuniculos astutè agunt, ut subruant hunc sacrosanctæ scripturæ & fidei articulum, Filium esse Vnum Deum cum Patre & Spiritu sancto. Hinc porrò illis Ariani sequetur, Filium esse inferiorem Deum Patre, esse sua quadam peculiari ratione D E V M, ita quidem, ut non sit Vnicus, & uerus Deus, cum Patre & Spiritu sancto. Attendant igitur Ecclesia Dei, quantas præstigias Ariani meditentur in Ecclesiam CHRISTI, mirificis suis insidijs, spargere. Aperte enim isti Ariani iaciunt hoc fundamentum L. ij. Patrem, Fi-

lium

lium & spiritum sanctum, non esse unum Deum. Deitatem quidem & Naturam, cōcedunt esse contmunem istis tribus, perinde ut tribus hominibus, ipsa humanitas est eadem seu communis. Sed si militudo ab hominibus, ad essentiam atq; maiestatē Dei, inconueniens est. Nam creaturam sic se habere certum est. Ipsam uero Dei essentiam eodent modo se habere, nullus Arianus, neq; spiritus malignus probare atq; euincere ullis argumentis poterit. Referimus autē nos in hisce articulis fidei, non ad creatureas, non ad ratiocinationes cerebri humani, sed ad uerbum Dei reuelatum, quod inquit, unum esse Deum, et de hoc unico Deo differens, nominat Patrem, Filium & spiritum sanctum.

## 28.

Vbicunq; Deus absolute in scripturis est positus, semper est Pater.

Ergo solus Pater est unicus Deus, non Filius, nō spiritus sanctus.

R. Regula Arianorum non est uera. Sed hæc regula Ecclesiæ Dei, uera est & firma, Vbicunq; uocabulum, Deus, absolute in scripturis ponitur, nec sit disertè mentio personarum, ibi non solum Patrem, sed Patrem, Filium & spiritum sanctum completitur. Ut, Audi Israel Dominus Deus tuus, Deus unus est. Non habebis Deos alienos. Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli seruies, &c. Nam hic

bic Deus, tali modo in sacris literis exponitur,  
quod sit Pater, Filius & Spiritus sanctus, & in mu=di creatione, in collectione Ecclesiae, in regenerati=one, in donatione uitæ æternæ, ac similibus operi=bus, pari potentia & maiestate coniunguntur, ac consentit Ecclesiae Dei unanimis fides & confessio omnium temporum, id quod alio loco paulò copio=sius explicauimus.

Obseruandum deniq; et hoc est, Arianos no=uos, more suorum Maiorum, perplexè & truncatim de Deo loqui. Itaq; ab ipsis iure exigimus, ut integrum doctrinam de Deo, perspicuis uerbis proponant, & in singulis partibus se euoluant & ex=plicant, non studeant ambiguitatibus & obscuritateibus. Dicant clare, quod Filius non sit is Deus, qui Pater est, & qualis sit Deus Filius, cum non sit ille ipse Deus, qui Pater & Spiritus sanctus est, quo gradu, uel qua ratione Filius, quo ad diuinitatem, sit inferior Deus ipso unico Deo Patre, cum non sit unicus & uerus Deus filius Dei, an sit alia ratione posterior Deus, & quo modo sit Spiritus sanctus Deus, cum non sit unicus Deus, qui & Pater & Fi=lius? Cum enim eam proprietatem, unicū & uerum esse Deum, tantum tribuant Patri, eamq; inquam, proprietatem Filio & Spiritui sancto adimant, dicendum est planè, an sint ordine secundi uel tertij Dij, uel nuncupatiuè tantū hoc ipsis epitheton ad-

N scribatur,

scribatur, aut alio modo? Vbi se tali pacto prodiderint, iudicium quoque suum, ex uerbo Dei & confessione Ecclesiae accipient, quale merentur.

Hactenus nouorum Arianorum falsas & erroneas doctrinas, contumeliosas in filium Dei & spiritum sanctum, recensui, & argumenta excussi, quae partim ex inscitia crassa & affectata, partim uero ex manifesta calunnia nascuntur. Dolendum autem est, inueniri homines, quod tam tetris portentis applausum praebet, & oratus Deus est, ut istos nouos Arianoſ confundat, ac suam doctrinam, de sua ipsius existentia, incorruptam in Ecclesia sua custodiat, idque propter invocationem & glorificationem nominis sui sanctissimi Amen. Verè enim nouissima nunc ingriunt tempora, in quibus diabolus omnis generis corruptelas auget, ut quam plurimos homines secum in eternum exitium abripiat.

Blasphemæ uoces in Deum, quibus isti immundi porci, & ipsum Deum, & Ecclesiam eius, recte de hoc articulo sentientem, conspuunt, tam sunt tetræ & horrendæ, ut eas referre abhorream. Nam istum Deum, qui sit unus, & sit Pater, Filius & Spiritus sanctus, hoc est, tres personæ, aut esse uersipellenti Deum, qui se interdum occultet in uno, interdum uero dilatet in tribus personis. Et hunc Deum, qui sit unus in tribus, nihil unquam egisse, uel uerbo uel opere, nec habere filium, nec mediatore, & nihil differ-

re à Deo Baal, Moloch, Bytho, Turcico & Iudaeo. Neq; esse unum Deum Patrem Christi, in essentia & personis querendum. Item sub titulo essentiae Dei, Satanam coli inquiunt. Item, Hunc esse Sophistarum & Antichristi, unde ficticium Deum, esse larvam triformem. Ita nostram doctrinam, quod unus Deus existat, & sint tres personæ, Pater, Filius & Spiritus sanctus, dicunt esse mera monstratio, esse fundamentum Antichristi, esse ipsius Satanæ commentum. Quis non cohorrescit toto pectore, tantas blasphemias audiens? Si aliquot legiones dolorum ex Acheronte profilirent, possentne horribiliores blasphemias in uerum Deū euomere? Ex hisce igitur de nouorum istorum Arianorum delirij, omnes pij iudicent. Non sunt albi & subtilestis spiritus, qui Ecclesiam per istos furiosos homines impetunt, sed crassi, tetri, nigri, quos propter blasphemias in Deum, nisi pedem referent & conuertentur, meritò DEVS ipse retundet. A M E N  
Amen.

FINIS Secundi libri.

N 2

TER<sup>a</sup>

TERTIVS LIBER.  
**DE VOLVN  
 TATE DEI REVE-  
 LATA CERTO  
 VERBO.**



INTER actiones Dei, recitatur proptera  
 tefactio doctrinæ, quam uult æter-  
 nus ille Deus, notam esse hominibus,  
 & per quam Ecclesiam sibi colligit  
 ac sanctificat. Mirando enim & be-  
 nigno consilio, uoluit nobiscum agere D E V S, per  
 media quædam, ut & maior benevolentia Dei er-  
 ga nos cognosceretur, & homines certò scirent,  
 quæ credenda, quæque; iuxta ipsius creatoris uolun-  
 tam facienda, quæuc omittenda essent. Tesseræ  
 uero ipsi cœlesti uoci addita sunt Sacra menta, qui  
 bus suam gratiâ tum applicat, tum obsignat Deus.

Sunt autem doctrinæ diuinæ capita omnium sum-  
 ma, L & Euangelium, quæ quidem reliqua capi-  
 ta omnia complectuntur & illustrant. Volui igi-  
 tur, cùm de Deo ueram sententiā, sacris literis tra-  
 ditam & confirmatā, exposuerim, & Arianorum  
 nouorum argumenta, auxiliante Deo enumeraue-  
 rim,

rim, ac potenti uerbo Dei dissoluerim: etiam compendium quoddam doctrinæ sanctæ subiçere, non tam propter illos Arianos, qui essentiam Dei sine omni fronte calumniosissimè impugnant, q̄ ut Christiano lectori inseruirem, ac repeterem illustre discrimen Legis & Euāgelij, quod Deus ipse in suo uerbo mōstrauit. Nō enim satis est, scire, quid sit Deus, sed uolūtatem etiā ipsius decet esse exploratam & certam, ut omnes norint, quid à nobis Deus exigat, & quomodo erga miseros peccatores sese gesserit & gerat adhuc. Prodest etiam hæc doctrina ad gloriam Dei conseruandam, aduersus hæreticos, quorum ea est natura & proprietas, ut paulatim ab uno articulo, ad alios uellicandos & concutiendos progrediantur.

Libuit autem tantum breues quasi Aphorismos ponere, ne lectori tædiū adferremus, & ut hæc doctrina esset planior, faciliusq; considerari & percipi posset.

DE LEGE MORALI ET  
EVANGELIO, APHORISMI  
*seu propositiones.*

DE LEGE MORALI.

N 3 I. Lex.

1.

**L**EX & Euangeliū, duo sunt insignia capi-  
ta doctrinæ, cœlitus patefactæ et traditæ. Pri-  
num autem de Lege Morali dicemus.

2.

Certæ obedientiæ normam hominibus initio cre-  
ationis inditam fuisse à Deo, & postea ab eodem re-  
petitam esse, immediate ac mediate, ex sacris lita-  
ris constat. Rom. 2. Genes. 2.

3.

Est autem Lex Moralis, doctrina à Deo tradi-  
ta, in qua normam obedientiæ interioris & exte-  
rioris hominibus proposuit, ac requirit integrum  
obedientiam, addita promissione conditionali de ui-  
ta, si quis absolute eam præstiterit, & comminatio-  
nem de maledictione, si secus factum fuerit. Deut. 6.  
27. Matt. 19. Rom. 2. 7. Gal. 3.

4.

In duas autem tabulas diuiditur, quia Deus eam  
in monte Sinai, in duas tabulas, suo ipsius digito in-  
sculpit. Deut. 31.

5.

Christus ipse in duo precepta, hoc est, duos or-  
dines præceptorum distribuit, inquiens Matth. 22.  
Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,  
& tota anima tua, & tota mente tua, Hoc est  
maximum & primum mandatum. Secundum au-  
tem

rem simile est huic , Diliges proximum tuum sicut te ipsum . In his DV O B V S mandatis , pendet Lex & Prophetæ .

6.

Decem uero precepta , seu ut Moses uocat , uerba , fuisse tabulis inscripta , docetur Deut . 4 .

7.

Sicut autem tota hominis substantia , cum suis factis & ornamentis , à Deo est condita , ita etiam hanc Legem Moralem , initio pectoribus ipsorum insævit Deus , ut esset præclara lux rationis , quæ & cultum Dei , & reliquas hominis actiones omnes iuxta uoluntatem Dei gubernaret . Genes . 1 . 2 . Rom . 2 .

8.

Deinde uero , cum ea lux , à Deo indita , per peccatum partim extincta , partim etiam obscurata esset , Deus publica uoce , singulari maiestate adhibita , in monte Sinai , eam legem repetivit , atq; tabulis lapideis suo digito inscripsit , eiusq; doctrinam perpetuò in Ecclesia sua extare uoluit . Exo . 20 . 31 .

9.

Quando igitur fideles ministri Verbi Dei , uocē legis acuūt , ipsi Deo , sed mediate , hæc doctrina arguēs tribuēda , eamq; ob causam magnificienda est . Sic inquit Paulus Ro . 1 . Reuelatur ira Dei ex cælo , super omnem impietatem & iniusticiam hominū .

N 4 10. Exigit

10.

Exigit autem Lex, opera interiora & exteriora, sicut exponit eam Christus, Matth. 5. & Paulus Roman. 7.

11.

Actria quidē priora præcepta, cultus Dei summos præcipiunt, quibus cum ipso Deo agimus. Si cut enim conditus est homo ad imaginem Dei, ita præcipue Deum cognoscere & celebrare debet.

12.

Posteriora uero præcepta, opera præscribunt, quæ in reliqua uita & societate hominum, necessaria sunt.

13.

Antimomia, seu contra Legem est, Pharisaica opinio, quod Lex tantum flagitet exteriora opera. Nam Paulus inquit Rom. 7. Lex est spiritualis. Et de Pharisæis inquit, 2. Corinth. 3. usq; in hodieum diem, cum legitur Moses, uel ame posatum est super cor eorum.

14.

Ethica Philosophica, minus etiam res legis inteligit & explicat, quam Pharisæi.

15:

Historiam promulgatæ Legis, Moses luculentæ memoria consecravit, quæ in Exodo, alijsq; cius libris extat.

16. Res

16.

Requirit autem Lex Moralis, non partem solummodo eius obedientiae, quam in suis præceptis dictat, uerum totam, integrissimam & absolutissimam obedientiam, in omnibus & singulis præceptis, & ut totus homo, sit istis mandatis Dei omnibus conformis. Nam diserte dicitur Deut. 6. Matthæi 22. Diligas Dominum Deum tuum ex TOTO corde tuo, ex TOTA anima tua.

17.

Ac mutua fuit proportio, Legis & hominis ante lapsum. Talis enim erat homo conditus à Deo, & eiusmodi instructus facultatibus, ut posset Legem diuinam sibi propositam facere, id quod ex imagine Dei, qua ornatus erat homo, & ex comminatione Legi adiuncta, iudicari potest. Et Eccles. 7. scriptum est, Deus fecit hominem rectum.

18.

Sed per peccatum, facta est inæqualitas. Nam homo quibusdam eximijs Dei donis spoliatus, in reliquis uero horribiliter depravatus & perditus est. Itaq; in hominibus corruptis, non sibi iniucem respondent Legis sententia, iuxta diuinam mentem seu interpretationem, & hominis substantia & facultates, qua de re infra rursus agetur. Ro. 8.

19.

Etsi autem homo, suis peccatis dona Dei effus-

N 5 dit,

dit, sibiq; mala accessuit, tamen ipsam sententiam  
Dei in lege expressam, suis peccatis non abolet.  
Peccatum enim ex homine est, non à Deo. Lex uero  
à Deo est, non ex homine.

20.

Est igitur Lex Moralis sententia Dei perpetua, etiam lapsis hominibus occimens, qualem obedientiam, nempe omnibus numeris absolutissimam, ipse creator à suis creaturis exigat.

21.

Sicut autem præmittuntur in Decalogo, optimo & iustissimo ordine, præcepta de uero cultu Dei, itaq; etiam opera illa primæ tabulæ, operibus secundæ tabulæ prælucere debent.

22.

Estq; ipsa Lex una copulativa, ac miro ordine ipsa quoq; opera sese iniucem respiciunt, ita quidem, ut peccans cōtra unum præceptum, non possit non simul in alia quoq; impingere. Hinc in Iacob scriptum est cap. 2. Qui offenderit in uno, reuultus est omnium.

23.

Antinomia est philosophica illa opinio, natura  
lia, id est, nobiscum iam post lapsum nascentia ma-  
tis, in corpore & anima, non esse peccata Deum  
offendentia, & eternam iram commerentia, nisi si  
et remissio peccatorum per Christum. Contra enim  
Paulus

Paulus inquit Rom. 8. Sensus carnis mors est.

24.

*Antinomia est, Pelagianorum furor, quod homo, nunc etiam post lapsum primorum parentum, sit talis, ut possit Legi diuinæ satisfacere. Nam scriptura testatur, Legem applicatam hominibus, quales illi nunc quidem sunt, tantum eos accusare & damnare. Rom. 3.*

25.

*Antinomia est affirmare, legis sententiam abolitam uel sublatam esse, quia homines amiserint suā illam à Deo donatam integritatem, ut non possint in hac uita, Legi diuinæ in omnibus satisfacere.*

26.

*Antinomia est hæc pontifícia sententia, Deum non uelle simpliciter, nunc etiam homines lapsos, integrum suam Legem obseruare, sed pro statu huius uitæ, accipi Legem oportere, hoc est, Deum exigere tantam solummodo obedientiam, quantam homines in hac corruptione possint præstare. Verum ista refutat Christus luculenter, Matth. 22. Aliud n. est, quādo loquimur de uelle, hoc est, præcepto Dei: Et aliud, quādo loquimur de nostro posse. Vult et requirit Deus integerrimā obedientiam, uerū nos eam assequi nō possumus propter corruptā naturam.*

27.

*Aliud etiam est, quando loquimur de iustitia*

κεία Euangelica, quòd inchoata & imperfectare  
natorum obedientia Deo placeat, propter fidem  
in Christum. Rom. 8.1. Pet. 2.

28.

Quòd secundum præceptum sit simile primo,  
hoc est, quòd unus Deus ista omnia præcepta sanci-  
uerit, & uelit ea suo ordine præstari, Christus do-  
cet, Matth. 22.

29.

Antinomia tetra est, sentire uel docere, septem  
posteriora præcepta, in cruce & casu confessionis  
uiolari posse, ob necessitatem & dilectionem, uti  
loquuntur, modò priora tria obseruentur. Nam  
Christus inquit, posterius mandatum simile est  
priori.

30.

Omnes mortales, ad Legem Moralem seriò ob-  
stringi, certum est, quia est perpetua Dei senten-  
tia, ut suprà positum est.

31.

Antinomia igitur est, sentire, Legis præcepta  
tantum esse inania terriculamenta, ut homines ho-  
nestè uiuant. Nam Deus pœnis & calamitatibus  
tum priuatis, tum publicis testatum facit, se se uelle  
seuerissimè, ut omnes mortales suæ Legi pareant,  
quòd nisi fecerint, se fore uindicem. Exod. uigesimo.  
Deuter. uigesimo septimo.

32. H. 4.

32.

Habet præterea Lex dilucidas promissiones, tum de alijs commodis, tum etiam de uita æterna, uerum conditionales, nempe cum pacto integeriæ & absolutissima impletionis, ut Matth. 19. dicitur, Si uis in uitam ingredi, serua mandata. Rom. 7. Lex erat ad uitam data, ut Lutherus in Germanica translatione rectè interpretatur. Gal. 3. Qui fecerit ea, homo uiuet in eis. Rom. 2. Factores Legis iustificabuntur apud Deum.

33.

Antithesis autem eius conditionalis promissionis, est comminatio conditionalis, si non præstetur Deo perfectissima obedientia. Deut. 27. Malediclus, qui non permanserit in omnibus.

34.

Antinomia igitur manifesta est, affirmare, Legem nullam prorsus habere promissionem uitæ, esseq; supra citatas sententias, de promissionibus uitæ, additas uoci Legis, meras Ironias Dei erga genus humanum.

35.

Fines Legis præcipui, sunt isti duo: Primum, docere de obedientia interiori & exteriori, & ea quidem perfectissima, quam creator ab hominibus, suis creaturis, postulat, adiuncta promissione uitæ, si præstiterint eam absolutissimè. Deut. 6. Gal. 3.

36. Deinde

Deinde accusare peccata interiora & exterio-  
ra cum hac lege pugnantia, & denunciare mortem  
omnibus, violantibus legem Dei. Rom. 3. 4. 7.

37.

*Antinomia est, docere, opera renatorum non  
ex lege, sed ex Euangelio tantum, esse discenda &  
docenda.*

38.

*Antinomia est, in ministerio Verbi non sonare  
uocem legis, arguentem peccata.*

39.

*Antinomia est, Philosophica illa fascinatio, quod  
in Ethnicorum literis, uirtutes plenius & rotundi-  
us describantur, q̄ in explicatione Decalogi, in sa-  
cris literis comprehensa. Nam philosophia, uirtu-  
tum causas non rectè perspicit aut tradit.*

40.

*Legem Dei à nullo hominum post lapsum, siue  
renatus ille sit, siue non, (excepto Christo) in hac  
uita perfectè impleri posse, testantur sacre literæ,  
& omnium sanorum experientia. Rom. 3. 7.*

41.

*Antinomia igitur est, Papistarum quorundam  
doctrina, renatos posse Deo reddere, quod suum  
est, & hominibus, quæ ipsis debent. Nam peccatum  
originis, nondum est penitus ex natura hominum  
in hac uita, extirpatum. Rom. 7.*

42. *Ait*

42.

*Antinomia est, docere, quod imperfecta renato  
rum opera, pro ipsa legis impletione, apud Deum  
eis reputentur. Estq; id contumeliosum in meritum  
Christi, cuius quidem solius & sola legis impletio,  
nobis reputatur pro iusticia. Rom. 5.8.10.*

43.

*Perfectio Christianorum in hac uita, non ex Le-  
ge, id est, ex nostris operibus, sed ex Euangelio ue-  
nit, hoc est, ex impletione legis, quae nobis in Chri-  
stū credentibus, imputatur, trāscribitur, donatur.*

## DE EVANGELIO.

44.

*Dulcissimam hanc uocem, à Deo editam esse, q  
uelit peccatores indignos, ex gratuita misericor-  
dia, propter Iesu Christi meritum, fide in hunc re-  
demptorem fixa, recipere, iustos censere, & in æ-  
ternum saluare, constat ex uerbo Dei, Genesis 3.  
Roman. 3.*

45.

*Estq; hoc alterum insigne doctrinae cœlestis ca-  
put, in Veteri ac Novo Testamento patefactum  
& traditum.*

46.

*Sicut autem uox Thorah, in Veteri Testamento sa-  
pe ponitur generaliter, pro doctrina cœlitus reue-  
lata, cuius præcipua duo capita sunt, Lex Moralis  
¶.*

et Euangelium: Ita etiam uox εὐαγγελίου in no-  
uo Testamento, et usu docentium, crebrò genera-  
liter usurpatur, pro doctrina cœlesti, in qua in pri-  
mis eminent isti duo articuli, concio Legis, et do-  
ctrina de gratuita remissione per fidem in Chri-  
stum. Estq; denominatio quedam à potiori illa do-  
ctrinæ cœlestis parte, quæ extat uel in Nouo, uel  
in Veteri Testamento.

47.

Sed quando istæ duæ uoces, Lex et Euangeli-  
um, sibi inuicem opponuntur, Lex tantum signifi-  
cat doctrinam de operibus et peccatis nostris, cu-  
ius summa in Decalogo est comprehensa. Euange-  
lium uero iuxta Etymologiam, tantum significat  
lætum et iucundum nuncium, de remissione pecca-  
torum gratuita per Christum.

48.

Quando Christus inquit, Euntes in mundum ut=  
niuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ,  
Marci 16. generaliter suam doctrinam à se tradi-  
tam, à potiori parte denominat.

49.

Non enim uolebat, Apostolos tantum sonare il-  
lam suauissimam uocem, quod Deus uellet gratis  
peccatores recipere, sed etiam hanc Legis, quod  
omnes sint peccatores, iram æternā multiplici Le-  
gis transgressione commeriti. Rom. 3.

50. In

50.

In specie uero ac propriissima significatione accipitur uox Euāgelij, Matt. 11. Pauperibus Euāgeliū denunciatur. Nā Christus docet, indignis peccatorib. gratis remitti peccata. Itē, Mar. 1. Agite pānitentiā & credite Euāgeliō. Et Ro. 1. ait Paulus, Se esse à Deo segregatū in Euāgeliū, de filio suo Iesu Christo.

51.

Porro Euāgeliō doctrina, non fuit unq̄ hominis naturae insita, sed peculiariter à Deo, ex immēsa misericordia, hominibus lapsis in peccatum reuelata est, Gen. 3. Ideo rectē uocatur mysterium Dei, sed patefactum per ipsum Deum.

52.

Non aut in nouo Testamento solū, hæc Euāgeliō doctrina, de remissiōe peccatorum per Christū, continetur, sed etiam in ueteri Testamento extat.

53.

Errant qui sentiunt, in ueteri Testamento tantum Legis doctrinam, & nullam omnino Euāgeliō extare.

54.

Subiectum et neruus Euāgeliō, propriè sic dicti, est Christus. Sic Paulus inquit 1. Cor. 2. Nō iudicauit me scire aliquid inter uos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.

55.

Euāgeliō uoces sunt, nō Legis, Semen mulieris conteret caput serpentis. Liuore eius sanati sumus. Venite ad saluandū peccatores. Venite ad me omnes,

O qui

qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam uos.  
Gratia saluati estis per fidem, et hoc non ex uobis,  
Dei donū est, nō ex operibus, ut ne quis glorietur:  
Certus sermo, et dignus qui omnibus modis accipiat  
tur, quod Christus Iesus uenit in hunc mundum pec-  
catores saluos facere, et similes.

56.

Hæc uox Euangelij, fide apprehenditur, Iohann.  
3 Qui credit in me, habet uitam æternam.

57.

Ergo Euangelij proprietates sunt, docere de im-  
pletione legis, per Christum nostro loco præstata,  
de iusticia imputativa, non de actua nostra, q[uia] gra-  
tis remittantur peccata, q[uia] misericordia saluemur,  
nō ex operib. nostris. 58.

Errant qui docent, Christum tantum nouas qua-  
dam leges dedisse. 59.

Item, Sicut pro omnium hominum peccatis Chri-  
stus satisfecit, ita omnibus hoc ingēs beneficium of-  
fert Iohann. 3. Ut omnis qui credit in eum, non pere-  
at, sed habeat uitam æternam.

60.

Et habet uox Euangelij, quædā gratiæ seu fidei  
sigilla, nempe Baptismum, Absolutionem, et Cenā  
Domini, quibus et applicantur, et obsignantur bo-  
na Euangelij. 61.

Locus igitur Euangeliō est, in peccatoribus seū  
perturbatis conscientijs, quibus annunciat Deus  
uoce

voce Euāgeliij, gratuitam remissionem peccatorū,  
per & propter Christū. Matt. ii.

62.

Securis aut & pertinacibus, malleus legis debet  
tur, donec humilientur, & postea suspirent iuxta  
Euangelij doctrinam, o Iesu Christe, miserere meis.  
Nā ægroti tantū opus habet medico, teste Christo.

63.

Finis Euangelij est, adferre conscientijs ex lege  
consternatis, remissionem peccatorum, & iusticiā  
imputatiuam, seu legis impletionem per Christum.

64.

Inde est Ius filiorū Dei, pax conscientiæ, uita æ  
terna. Ro. 5. 8. 65.

Ex Euangelio est donatio spiritus sancti, Gal. 3.  
ac renouatio hominis. Vnde fructus boni enascuntur.

### DE DISCRIMINE LEGIS

& Euangeliij.

66.

Ex hac explicatione manifestum est, duas has  
doctrinas, manifestas habere distinctiones.

67.

Lex insita fuit peccatoribus humanis in ipsa crea  
tione, unde adhuc in natura corrupta, aliquæ e  
ius scintillæ manent. Sed Euangellum est mysteri  
um Dei, peculiariter hominibus reuelatum. 1. Co  
rinth. 2. 7

68.

196 De discri. Leg. & Euang.

Lex docet de bonis operib. hoc est, postulat ab hominibus legis impletionē, quam nemo homī post lapsū, suis uitribus consequi potest. Euangeliū adfert ac distribuit peccatoribus, impletionem Legis per Christū factam, hoc est, docet de opere seu merito Christi, nobis donando. 69.

Lex habet promissiones cōditionales uite, Si feceris ea, uiues in eis. Euangelium habet promissio-nes gratuitas, quae fide accipiendae sunt. Rom. 4. 11.

70.

Lex terret omnium conscientias, quia oēs reos agit. Ro. 4. Euangelium pacat credentium conscientias, quia omnes à peccato absoluit. Rom. 5.

71.

Ex hisce differentijs Legis & Euangeliū, si ueræ sunt, ut ueræ sunt, sequitur:

72.

Euangelium propriè sic dictum, non docere de bonis operibus, sed hoc esse propriū Legis officiū.

73.

Et Euangelium propriè sic dictum, non docere de peccatis, sed hoc esse proprium officium legis.

74.

Recte igitur à Luthero hæc Maxima traditur, Quidquid ostendit peccatū, irā seu mortē, id exercet officiū Legis, siue fiat in ueteri, siue in nouo Testamento. In disp. 2. contra Antinomos. posit. 18.

75.

Constat

## Dediscr. Legis & Euang. 197

Constat etiā Christum tantū pro peccatis Legis satisfecisse. Nullū igitur peccatū est, quod nō arguat Lex. Ac rectē inquit Ioannes, peccatū esse à vīa, non dicit à vīa.

76.

Quidquid igitur non est à vīa, id est, pugnās cum Lege, peccatum dici non potest. i. Iohān. 3.

77.

Nec debent specificæ differentiæ, in diuersis doctrinis & rebus confundi.

78.

Quando igitur nōnulli dicunt Euangeliū esse cōtionē pēnitentiae & remissionis peccatorū, hæc definitio de generali significatiōe uocabuli Euāgeliū, dextrè accipiēda est, nēpe de doctrina, quæ in ministerio Verbi sonare debet, cuius præcipua sunt capita, Lex & Euāgelium. Sicut & uicissim Legis uocabulum, interdum generaliter usurpatur. Estq; sy necdoche.

79.

Lex n. proprio & speciali suo officio, de pēnitentia, hoc est, contritione, seu de cognitiōe peccatorum docet, R.o. 3. Euangeliū uero, proprio et speciali suo officio, de gratuita remissione peccatorū per Christū. R.o. 4.

80.

Nam pēnitentiae uocabulū, quando copylantur in uno dicto, pēnitētia & remissio peccatorum, ut Lu. 24. nō significat integrā hominis ad Deū cōuerſionē, ut alias, quādo ea uox sola ponitur, ut Agite

## 198 De discri. Leg. &amp; Euang.

p̄niten̄tiam. Iob. 21. Act. 2. Sed partem cōuerſionis tantum, quæ uſitatem uocatur contritoſe uoxt̄ cognitio peccatorum. 81.

In hac angusta ſignificatione, quando accipitur pro contritione ſeu parte conuerſionis, ipſa uox p̄niten̄tia quò ad legem, latè patet.

82.

Significat enim nō tantū unius peccati cognitionem, ſed & reliquorum contra totam legē, quātam nimirū Deus uoce legis, in pectoribus hominū accedit. 83.

Nam omnia noſtra peccata interiora & exteriora, neq; poſſumus noſtra mente capere, neq; eorū conſpectū etiam uifimere poſſemus.

84.

Antinomica autem confuſio eſt, Euāgelio, iuxta ſpecificam proprietatem, tribuere concionem p̄niten̄tiae.

85.

Nam quod legi proprium eſt, uti ex uerbo Dei adſtruximus, id Euangelio tribuitur. Atqui Ro. 3. dicitur, Lex eſt cognitio peccati. Et Rom. 7. Peccatum non cognoui, NISI per legem.

86.

Hoc pacto ex Moſe Christus, & ex Christo Moſes efficeretur. 87.

Antinomia eſt, affirmare, legē ad docendā ſalutē ad Deum conuerſionē, nulla in parte requiri-

88.

Nam

## Dediscr. Legis & Euang. 19

Nam conuersio ad Deum salutaris, constat con tritione & fide. Noua autem obedientia, est effe ctaus eius conuersionis. 89.

Itaq; si contritionem à salutari conuersione tol las, non erit salutaris, quia pauperibus tātum hoc est, peccata sua aliquo modo cognoscentibus, Eu an gelium prædicatur. Matth. 11.

90.

Si fidem à salutari conuersione tollas, nō erit sa lutaris. Iohan. 3. Qui nō credit, ira Dei manet su per eum. 91.

Sed ex sola lege est cognitio peccati, seu contri tio. Ro. 3. 7. non aut ex Euāglio propriè accepto, quod est doctrina de Christo propiciatore. Rom. 1.

92.

Ergo lex quoq; ad primam partem salutaris ad Deum conuersionis docendam, pertinet.

93.

Sed sola Lex non constituit salutarem conuersi onem, sicuti nec solum Euāgeliū de remissione pec catorum. uerū cōiunctim, id quod iterū dicimus:

94.

Sūma igitur est impietas, excludere legem à con cione salutaris cōuerstionis ad Deū, nimirum quoad partem de cōtritione. Cæterū & hoc monendi sunt pīj, in conuerstone ad Deum, oportere fidem impri mis lucere & excellere, qua terrores legis superē tur, et mēs acq̄escat in gratia Dei et merito Christi.

O 4 DE OR

100 Ordo docendi Leg. & Euang.  
DE ORDINE DOCENDI LEGEM  
ET EVANGELIVM.

95.

Ex hisce quæ diximus, etiam ordo Legem & Euangeliū docēdi, elucescit. 96.

Lex n. primū est peccatori proponenda, ut ex ea cognitione aliquā peccatorū discat, & Dei effacia, sentiat irā eius & pœnas cōmeritas, seseq; corā Deo humiliet cū Davide, dicente, Tibi tantū Domine sum peccatū. 97.

Deinde uero, eidem iucunda uox Euangelij tradenda est, q; Christus sit agnus, tollens peccata mundi, q; oib; in Christū credentibus, gratis ex misericordia remittatur peccata, & imputetur legis impletio siue iusticia, per Christū nobis acquisita.

98.

Hoc ordine, Deus Adā lapsum cōuertit. Sic Paulus primū oēs mortales reos agit uoce legis. Deinde oēs solatur, etiam ipsis impijs agentibus pœnitentiam, obedientiam seu impletionē legis per Christū factā, à Deo imputari. 99.

Antinomia igitur est, legē ex concione pœnitentiæ remouere, atq; in Curiā tantū relegare, atq; ab Euangeliō seu promissione gratiæ, ordiri concionē de conuersione hominum ad Deum, id quod contra Antinomos Lutherus, ex ualidissimis & luculentissimis sacræ scripturæ testimonijs præclarè euicit:

100.

AII-

Ordo docendi Leg. & Euang. 101

Antinomia est, insaniendo asseuerare, Christum  
non præcepisse legis concionem in sua Ecclesia.

101.

Nam ipse met legē docuit & illustrauit. Matt. 5:

102.

Quando esse dū legis mandauit prædicare Chri-  
stus, tunc simul causam, hoc est, legē ipsam iussit in  
ministerio Verbi proponere. Sed Lucæ 24. iubet,  
non tātum gratuitam remissionē peccatorum, que  
solo Euangelio traditur, docere, sed primo etiā lo-  
co pœnitentiam seu contritionem, uel peccatorum  
cognitionem, quæ tantum uoce legis docetur, pro-  
ponere. Rom. 3:

103.

Quod uero additur, in nomine meo, manifestum  
est, hāc phrasin etiam mandatū Christi continere.

104.

Apostoli docuerūt et explicarūt legē. Sed ipsi ni-  
hil aliud tradiderūt, q̄ quod in mādatis acceperūt  
a Christo. Ergo ex præcepto Christi legē docuerūt:  
**DE CONVENTIENTIA, CONSONAN-**  
**tia, & mutuo officio Legis & Euangelij.**

105.

Lex & Euangelium, eundem habent autorem,  
nempe Deum.

106.

Lex & Euangelium, ad omnes homines per-  
tinet.

107.

Lex & Euangelium, in Ecclesia Christi semper  
sonare debent.

108.

## 202 Conuenientia Leg. & Euang.

Lex & Euāgelium docent, hominum corā Deō iusticiam, esse integrā legis diuinę impletionem. Deut. 6. Matt. 5. Rom. 5. 8. 10. Gal. 3. 4.

109.

Sed mutua uicissim officia legis & Euangelij, at tendēda sunt, sicut Paulus inquit, Legē stabilimus per fidem. 110.

Nolebat Deus immutare materiā iusticie nostrae, in conspectū Dei adferendae, expressam in lege, ne- pe integerrimā legis impletionē. Est enim legis Moralis sententia, perpetua & immota, ut diximus.

111.

Legis igitur impletionē, requirebat ipsa lex ab hoībus. Sed Euangelium adfert legi absolutissimam impletionē, uerū per Christū, loco generis huma- ni. Ro. 8. 112.

Quod igitur lex postulabat, id dependit, sol- uitur ac præstatur in Euangeliō, per Iesum Chri- stum Deum & hominem. Accipit igitur lex suum debitum, amplius monere & exigere non potest.

113.

Satisfit enim seuerae Dei iusticie, per unū homi- nē, pro toto genere humano. Iohā. 3. Ro. 5. 8. Gal. 4.

114.

Ex, quia ab hominibus exigit impletionem sui, eamq; nō inuenit in hominibus, ideo tantum eis ma- ledicit, nec habet ullum, quod communicare pecca- toribus posset remedium. Istae igitur sunt legis tene- bræ.

## Conuenientia Leg. & Euang. 203

bre, quia deserit ac destituit hominem consilio &  
ope in peccatis, imò tantum auget terrores & pæ-  
nas. Ideo appellatur rectè ministerium mortis:2. Co-  
rinth.3. Verum id sit uitio hominum, quia tales non  
sunt, quales lex requirit.

115.

Sed Euangelium monstrat & exhibet legi, Chri-  
stum hominem, quod quidē subiectum, ignotum fui-  
rat legi, Christus uero, loco totius generis humani,  
ex decreto sacrosanctissimae Trinitatis, legem im-  
pletuit, eiq; persoluit ea omnia, que omnes morta-  
les debuerunt. Ideo Christus tenebras legis illumi-  
nauit.

116.

Hac luce Lex diuina illustrata (q. nimirum Chri-  
stus Deus & homo pro hominibus fit constitutus le-  
gis impletor, Matt. 5.) sequitur, Ergo ubicunq; est  
legis impletio, ibi non amplius maledicit Lex, sed  
applicat suam promissionem uitæ. Matt. 19. R. o. 2.

117.

Sic nos ad brauium legis impletæ, non ducunt o-  
pera nostra, sed impletio legis per Christum facta,  
que quidem omnium nostram est. Rom. 4. Traditus  
est propter delicta nostra, & resurrexit pro-  
pter iusticiam nostram, item Rom. 8. 10.

118.

Validissimum, & oīm iucundissimum est hoc ar-  
gumentum.

Integrale legis impletioni, tribuit lex iusticiā &  
uitam eternam.

Sed

## 104 Conuenientia Leg. & Euang.

Sed nos credentes in Christū, habemus legis ab solutā impletionē, nō per nostra opa, sed p̄ Christi obedientiā duntaxat, quæ nobis imputatur. Ro. 5.

Ergo, nos iusticiā & uitā eternam possidemus.

119.

Hoc modo sibi obuiant, seseq; mutuo complexu suauissimè osculantur, iusticia Dei seuera & misericordia, ut inquit. Psal. 85. 120.

Gratis et ex misericordia quidē, respectu nostri, iusticia coram Deo potimur, uerū non gratis respectu Christi, qui sanguine suo preciosissimo, hoc amplissimum beneficium nobis peperit.

121.

Insuper Euangelij uox, etiamsi adfert peccatori bus credentibus in Christum, impletionem legis, imputatam à Christo, tamen à noua obedientia tanq; fructu, eos nō liberat. 122.

Nā disertè Paulus inquit Ro. 5. Liberati à p̄stō, serui facti estis iusticie. Et Christus inquit, Bona arbor bonos fructus profert. 123.

Sed nouæ obedientie norma, est Lex, quæ ab Euangelio illustratur. 124.

Verū ea renatorum noua obedientia, non est perfecta in hac uita, neq; est ea iusticia, qua coram Deo habemus remissionem peccatorum, sed est tantum fructus imputatæ per Christum iusticie.

125.

Placet tamen inchoata renatorum obedientia,  
quid.

105

Quia credunt in Christum, Ro. 8.14. Et hac ratione  
Euangeliū, ista etiā ē testimoniū Dei, legē illustrat.

126.

Sumus igitur liberi à lege, quotquot in Iesum  
Christum credimus, ita ut eximamur à condemna-  
tione legis per Christum, nō à ferendo fructum. Sic  
Rom. 6. dicitur, Peccatū uobis non dominetur. Non  
enim estis sub lege, sed sub gratia.

DE TRIBVS ILLVSTRIBVS SA-  
cræ scripturæ Hypothesibus.

127.

Ex hac doctrina manifestum est, tres sequentes  
hypotheses, in sacris literis esse illustres, & sine la-  
befactatione in Ecclesia Christi retinendas, quas E-  
pilogi uice repetemus. 128.

Prima hypothesis: Legem Dei habere promissio-  
nem uitæ, cum expressa conditione integræ & ab-  
solutæ impletionis legis, Matt. 19. Si uis in uitam in-  
gredi, serua mandata.

129.

Nam Deus in lege, obedientiam illam & iustici-  
am proposuit, quam ab hominibus, ut pote suis crea-  
turis postulat. 130.

Promissio conditionali, adiuncta est commina-  
tio, Maledictus, qui non permanserit in omnibus,  
quaæ scripta sunt in lege.

131.

Secunda hypothesis: Nemo hominū post lapsum,  
legent

206

legem diuinam implere potest. Roman. 3.

132.

Causa est in hominibus, quia integritas, quā Deus homini in creatōe prima indiderat, amissa est, & peccatū omnes homines corripuit & deprauavit. Rom. 5.8.

133.

Hinc est, quod Paulus docet, legem esse ministerium mortis, sicut p̄eclarē inquit Rom. 7. Inuentum est mihi mandatum, quod erat A D V I T A M datum, hoc esse ad M O R T E M.

134.

Vitium uero in nobis est, q̄ Lex non tantum accusat, tantum nobis maledicit, & non potest nobis brauium uitæ applicare, sicut R. 8. Paulus inquit, Infirmitabatur per carnem.

135.

In hanc sententiam docet Paulus: Si data esset Lex, quæ POSSET uiuificare, uerè ex lege esset iustitia. Gal. 3. nempe quòd nemo POSSIT legem implere, ut Rom. 8. declaratur. Eamq; ob causam, non posset per sua opera, promissione uitæ, in lege expressa, potiri quisquam, Omnis enim emphasis, in NON POSSE CONSISTIT.

136.

Tertia hypothesis: Ergo solus Christus ex immensa misericordia, legem uice mortalium impletuit, quæ quidem legis impletio, gratis nobis donata

5

¶ imputata per fidem in Christū, sola est nostra,  
coram Deo ualens & subsistens iusticia.

137.

Pro hac Dei gratuita misericordia & bonita-  
te, eternas Deo gratias debemus.

138.

Priores duæ hypotheses, sunt ex lege, postre-  
ma autem, tantum ex Euangeliō.

139.

Manet autem legis sententia uera, firma & im-  
mota, quod sit data ad uitam integrè seruantibus  
legem, etiam si uitium in hominibus facit, ut eis lex  
uitam applicare nequeat.

140.

Recte Lutherus in tertium caput ad Galatas  
scribit, Versamur in articulo Iustificationis. Sed ad  
iustificationem, non sunt aliæ quam istæ DV AE  
via, Verbum Euangeliū & Legis. Idem alij ortho-  
doxi in Ecclesia Christi, ex fecibus Antichristi re-  
purgata, docent & profitentur.

141.

Non tamen docent, quod possimus nōs miseri-  
mortales, utramq; uiam salutis ingredi, & tam per  
propria seu nostra legis opera, quam per impleti-  
onem à Christo factam, uitam æternam adipisci.

142.

Sed ideo asserunt ex uerbo Dei, Christum im-  
pleuisse legem (ut iterum atq; iterum repetamus)

ut

ut tantum per ipsum uita æterna potiremur.

143.

Hinc sunt illæ uoces Euangelicæ : Ego sum uita.  
Non est in alio quoq; Salus. Gratis iustificamur, sine  
lege, sine operibus legis, &c.

Postremo, uberior istorum capitū explicatio,  
in corpore Veteris et Noui Testamēti extat. Nolo  
igitur copiosiores expositiones hoc loco attexere.

Oro autem unum, uerum & æternum Deum,  
qui est Pater, Filius & Spiritus sanctus, ut doctrinā  
de essentia sua, & de uoluntate sua severa ac  
propicia, ex immensa misericordia reuelatam, &  
huc usq; conseruatam, etiā deinceps clementer cit-  
stodiat atq; propaget, nec sinat eam calumnijs &  
furoribus Satane & insolentiū capitū, uitiari atq;  
euerti, ut maneat in terris usq; ad nouissimum dient  
Semen sanctum, Deum recte, iuxta Verbum pates-  
cum, agnoscens, inuocas & celebras. Amen, Amē-

VNI, SOLI, AETERNO DEO, PA-  
TRI, FILIO ET SPIRITVI SAN-  
CTO, sit æterna laus & Gloria.

FINIS.